67
19 K
31

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

ALFREDO
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

ANSBERTI
FAMILIA REDIVIVA.

PARS PRIMA.

SIVE

CONFVTATIO DISSERTATIONIS HISTORICÆ LVD. CANTARELLI FABRI,

De nuptiis commentitiis ANSBERTI, cum BLITHILDE CLOTARII Regis filia.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

Digitized by Google

Bibliotheca Secreta Coll. Rom. Soc. Jesu.

ANSBERTI
FAMILIA REDIVIVA,
SIVE SVPERIOR ET INFERIOR
STEMMATIS BEATI ARNVLFI LINEA:

Contra Lvd. Cantarelli Fabri, nec-non Ioannis Iacobi Chiffletii obiectiones vindicata


OPVS IN DVAS PARTES DIVISVM.

Auctore Marco Antonio Dominicy, Conſiſtorij Conſiliario, Regiſque Hiſtorico.

Biblio Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

N 529

Questo libro era formato di settebre del 1692



BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

PARISIIS,

Apud Sebastianvm Cramoisy, Regis & Reginæ Regentis Architypographum: ET Gabrielem Cramoisy. viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. XLVIII

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

ILLVSTRISSIMO VIRO PETRO SEGVIERIO FRANCIÆ CANCELLARIO.

TVI *ſunt non mei*, CANCELLARIE ILLVSTRISSIME, *vigiliarum mearum partus: Hos enim à decennio, quo te Muſarum parentem audiui tacitâ quadam, & verecundâ religione tibi mancipabam; dedit Deus, vt publicâ tandem nun-*

ã ij

Digitized by Google

cupatione tuos fecerim, votique compos hunc patronum nactus ſim, quem m [illegible] longo tempore veluti laboribus meis aliquando propitium præſagâ mente ſuſpiciebam. Vt te primùm licuit adire compoſito ad temeritatem meam Auguſtæ Dignitatis ſupercilio, contra genium tuum otium tibi feciſti, vt percurrendis lucubrationibus meis, animum laxares. Placido vultu in has minutias oculos intendere voluiſti, ſed non defigere, ne te mei errores auerterent, & dum Cenſorem debui pertimeſcere, ſenſi Mecœnatem. Tertius quidem hic libellus eſt, qui tibi à me conſecratur, ſed iterata ſæpius ſunt in me tua beneficia, nec importunam de-

uota tibi mentis conteſtationem deſpexiſti, vt tuâ fiduciâ, nouiſque fauoribus incitatus noua r[illegible] in[illegible] ir-gumenta perquirerem, [illegible] tuis iterum altaribus admouenda. Ad te igitur REDIVIVVS *noſter recurrit* SINATOR ANSBERTVS, *quem à me non modò priſtina voti ſpon[illegible]a, ſed iniuncti etiam à te mihi muneris ratio depoſcit: Cùm enim anno ſuperiori tuo iuſſu contra famoſum ſuperbientium Hiſpanorum ſtylum Regiæ familiæ maieſtatem vindicarem, antiquam eius originem ab* ANSBERTO, *eiúſque* MAIORIBVS *ad noſtros vſque Reges ſatis accuratè deduxi. Hanc tamen inter Francos vir eruditus Hiſpanis ipſis auda-*

cior, qui Anſbertum Carlouingicæ gentis Principem Virum agnoſcunt, ſed, & aſperrime commentario fictitiam eſſe contendit, ac in adulationem ſecundæ Regum familiæ à neotericis quibuſdam concinnatam, vt per BLITHILDEM *Clotarij ſenioris filiam*, ANSBERTI *commentitiam, vt putat, vxorem, Merouingicis authoribus gens extranea gloriaretur. Et quamuis huiuſce opinionis artifex non in me rectà impetum ſuum perferat, ſed in diligentiſſimum ſcriptorem, qui de Anſberti genere ex profeſſo diſſeruit; mea nihilominus facta eſt illius cauſa, cuius ſententiam laudaui, tuúmque de me iudicium ſuſtinere debeo, ne me ita tuo*

Digitized by Google

paruiſſe putes imperio, vt illud imprudens violarim, ac fabulas exponens, oculis tuis, quos nihil effugere poteſt, variis ſimulacris videar illuſiſſe. Siſtit ergo ſe ante conſpectum tuum ANSBERTVS noſter, vt te probatus in aulam Regum, in qua quondam Comes fuit aſſiduus, apertâ fronte rurſus inducatur. Nec alium certè admiſſionalem adire debuit Senatorij generis homo præter te, cuius agnatio tot dignitatum inſulis præclara, vt ex eius Senatoribus ſenatus integer ſub te Præſide, ex Patritiis ſi ſupereſſent omnes, conſiſtorium Principis ſub te Capite componeretur. Quis præterea illum æquè valeat commendare, cùm eius anti-

quam patriam probè cognoſcas, multáque ſint inter vtrumque communia. Laudat hic natale ſolum Narbonenſem Galliam; at ibi iam à quinque ſæculis vtrâque militiâ inſignes Maiores tui floruère. Illuſtris ille Regum propinquitate; tu beneuolentiâ. Habet hoc ille iure ſanguinis, tu meriti, eòque ſolo te maior eſſe poteſt, quòd iis Regibus nepotibus glorietur, qui virtutem tuam venerati ſupremis honoribus ſupremas animi tui dotes affecerunt. In eo tamen non longè inferior tua conditio, dum non minùs fortunæ, quàm naturæ præmium ſit Regum *eſſe parentem, tu verò Regum iudicio debeas, te hunc eſſe Adminiſtrum, cui ſummo*

iure

iure concreditum eſt ſummum in leges imperium. Verùm hoc aliquatenus Heroï noſtro debes, dum illi Leges noſtri ſuos natales debent, eorúmque primarius author eſt, qui tuam virtutem quantum in eis fuit agnouerunt. Ideo de tua gratia non diffidit, dum mutuum hoc à te repoſcit officium, vt illi negatum à maleuolò Regale genus, priſtinam recipiat apud Principem te conciliatore commendationem. Tabulas edo citra ſuſpicionem tanti nominis vindices, & velut è tumulo claſſicos teſtes eduxi, vt coram te ſiſterent. Hoc vnum ſupereſt, vt ſi quæ tibi vacua ſint à publicis curis momenta, aurem ſimul ipſis, & authoritatem accommodes: Vt quam-

Digitized by Google

primùm illos dimiſeris, placidioribus me ſtudiis accingam, vt quæ ſunt æterna in me tua beneficia, æternis quoque, ſi Deus fauerit, votis exſoluam.

Tibi deditiſſimus
M. ANTONIVS DOMINICY.

Lutetiæ Pariſiorum
Cal. Ianuar. 1648.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM

PRIMÆ PARTIS.

CAPVT I. *Inſtitutum Operis,* pag. 1.
II. *Aduerſus Roricium Vcecienſem Epiſcopum obiectiones, diſcuſſæ,* 5.
III. *Argumenta contra Tonantium Ferreolum hoc nomine III. expenſa, & an idem ſit cum Ferreolo, de quo in Vita ſancti Firmini,* 13.
IV. *An Clodoueo Francorum Regi filia fuerit, Ferreolo nupta,* 22.
V. *De Filiis ex Ferreolo, & Clodouei filia ſuſceptis,* 38.
VI. *De Deotario, & Aigulfo fratribus, & de Ariſitenſis Epiſcopatus inſtitutione,* 40.
VI. *De Firmino Epiſcopo Vcecienſi, Ansberti fratre,* 62.
VII. *De Raginfredo & Gamardo Ansberti fratribus, eorúmque liberis,* 71.
VIII. *De Ansberto Senatore, & cùm primùm eius meminerint auctores,* 76.
IX. *De Blithilde, Clotarii I. Filia, Ansberti Vxore,* 100.
X. *In nuptiis Ansberti cum Blithilde, naturæ ordinem non eſſe turbatum,* 107.
XI. *In nuptiis Ansberti cum Blithilde, graduum conſanguinitatis ratio non obiicienda,* 116.
XII. *De Ferreolo Epiſcopo Vcecienſi, Ansberti filio,* 120.
XIII. *De Mũderico Ariſitenſi Epiſcopo, eiúſq; ſorore Tarſitia,* 126.

ẽ ij

XIV. *De Arnoaldo, Anſberti Senatoris Filio primogenito,* 136.
XV. *De ſancto Arnulfo Metenſi Epiſcopo,* 148.

INDEX CAPITVM SECVNDÆ PARTIS.

CAPVT I. *Quomodo intelligendi ſint auctores, qui in Lothario & Ludouico V. genus regale defeciſſe dicunt,* 157.
II. *Nibelungus Comes Childebrandi filius, pater fuit Theodeberti Matricenſis Comitis in Neuſtria, non in Orientali Francia,* 166.
III. *Robertus Fortis, filius fuit Roberti Theodeberto Matricenſi Comite geniti, non autem Conradi Welphonis filii,* 178.
IV. *Cur Robertus Fortis Saxonici generis ab auctoribus nuncupatus,* 187.
V. *Paternum Hugonis Capeti genus à Vvelpho deductum, germanum eſſe perperam iterum à Chiffletio demonſtratur,* 191.
VI. *Odonem & Robertum Reges, non fuiſſe Fratres vterinos Hugonis Abbatis, malè à Chiffletio probatur,* 196.
VII. *Hugo I. Abbas Caroli Magni ex Regina filius nuſquam fuit Clericus coniugatus,* 204.
VIII. *Conradi Ducis vxor Adelaid, fuit filia Ludouici Pii Imperatoris,* 217.
IX. *Hermengardis Ludouici Pii vxoris Natales, Nemerico Duci Narbonenſi malè attributi: Falſa etiam eiuſdem Ludouici cum Iuditha conſanguinitas,* 225.
X. *Ortus fœminei, quibus à Carolo M. traxit originem Hugo Capetus, ab Aſſertore Gallico notati, germani ſunt, atque perfecti.*

Digitized by Google

ANSBERTI FAMILIA REDIVIVA.

BIBLIOTECA ... ROMA

CAPVT I.

INSTITVTVM OPERIS.

QVAMVIS certiſſimum ſit in controuerſiis, quæ inter eruditos emergunt, neutrum ex contendentibus victoriâ gaudere, ſed eum inſtrui qui minùs intelligit; ea tamen eſt quorumdam erga ſe ipſos aſſentatio, vt quamprimùm rerum notitiam falsò ſibi ſuaſerint, vti certiſſimam mordicùs inſectentur, nec ad contrariam erudiri valeant, ne ſi veritati cederent, ſibi detrahere viderentur. Ex eo fit, vt amico fauentes errori, alios non curent decipere dum ſe ipſos decipiunt, & in vindicandis quæ ſibi finxerunt argumentis, opinione magis, quàm ratione decertent. Vt myopes lucem refugiunt, quam præ oculorum infirmitate ſuſtinere non poſſunt, ſic iſti veritatem odere quam non conceperunt: In eo nihilominus diſſimiles deprehenduntur, quòd primi, non in ſole, ſed in ſe ipſis vitium agnoſcant; iſti verò ſibi ipſis blandientes proprios doctrinæ, aut fa-

Digitized by Google

gacitatis defectus in alios inconſideratè refundant.

Ita nuperrimè tanto cum ſtudio ignotos dudum Anſberti Maiores è tenebris eduxerant Clariſſimus Vir Thomas Aquinas Ordinis Carmelitarum excalceatorum, déque rerum Francicarum originibus optimè meritus Ioannes Dubouchetus, vt ad tanti argumenti fidem, & illuſtrandam Carlouingiorum Principum antiquam familiam nihil vltrà ſtudioſis reliquum foret. Quia tamen Ludouicus Faber in concinnandis iis, quas de Lotharingia ſcripſit diſquiſitionibus Hiſtoricis Anſbertum veluti pilam habuit, & commentitiam perſonam, nunc primùm cùm aduerſantem ſibi eruditorum calculum audiuit, diligentiam quam laudare debuit, improbauit, & quaſi non ingenui hominis eſſet priſtinam mutare ſententiam, veritatem quæ ſibi non obuia fuerat, ab aliis feliciùs vindicatam pertinaci propoſito impugnauit; quod non obſtinati modò ſed maleuoli animi eſt, eius aſſertores cùm ignorantiæ, tum imprudentiæ labe tentauit aſpergere; ac cuius ipſe culpæ reus eſt alios inſimulare. Ait ſiquidem Lotharingios auctores multo ſaniori conſilio Anſbertum à Clodione Comato deduxiſſe, aut ſi fabulis credendum, hanc profectò magis amplectendam, quæ Regibus noſtris nobiliorem finxit originem: Ferreolos nempe, quos alij Anſberti maiores putauêre, non niſi ciues fuiſſe Narbonenſes, ac per conſequens regiis Clodionis natalibus longè inferiores.

Obſeruare tamen debuerat Ferreolos iam à tempore Sidonij Galliarum præfectura functos, eámque dignitatem ab Imperatoria ſecundam fuiſſe, ideóque ab Eunapio Imperium ſine purpura cenſeri; tantam verò huiuſce Gentis gloriam exiſtimari, vt idem facundiſſimus Sidonius fateatur, ſtylum ſuum *quamlibet poſſet triumphalibus adoreis* huius *familiæ* Epiſt. 11. l. 7. *defatigari; non tamen eatenùs explicandis antiquorum ſtemmatibus exinaniri.* Si his igitur parentibus natus Anſbertus, non illi certè inter obſcuros, & Clodione minores reputandi ſunt, nec Regum noſtrorum imminuitur gloria, cùm ab his illorum origo repetitur.

Verùm quia Faber hanc fictitiam probare nititur, eius argumenta præcipua ideò ſingillatim expendenda ſuſcepi, vt eruditorum virorum, qui primi huiuſce opinionis vindices fuère, cauſam agens, meam quoque non prætermittam; cùm enim iuſſu cui deeſſe non poſſum, contra Vindicias Hiſpanicas literatiſſimi Viri Ioannis Iacobi Chiffletij ſcriberem, illorum me iudicio eò liberiùs adiunxi, quò non id mihi leuibus, ſed firmiſſimis ſubnixum patuit argumentis. Illis igitur, & mihi patrocinans Fabri diſſertationem diſpunxi, omiſſis pluribus eius obiectionibus, quas in re facti non è contrario facto, ſed ex ſua mente deſumit, ideóque iis refutandis, vt pote leuibus otium terere ſuperfluum duxi. Non etiam eius diſſertationis ordinem ſatis inconditum, & intricatum ſequutus ſum; ſed quia

tota hæc quæſtio genealogica eſt, & in operis ſui extremo capite, vel potiùs ſynopſi, perſonas quibus illa componitur ſeruata graduum ſerie, ſingillatim explodit, ſic eodem ordine non immutata illas proſequar, & vindicabo; quod vt faciliùs experiar, ac veluti tabellâ ante oculos poſitâ primo ductu, tum ſucceſſionis ordinem, tum agnationis gradum quem inter ſe occupant lector poſſit aduertere, Ferreolorum ſtemma vti hoc Dubouchetus edidit ad Arnulphum vſque, de quo vir eruditus non diſſentit, cenſui deſcribendum: quo pacto ex Iureconſultorum inſtituto præmiſſa de perſonis diſputatione faciliùs, deinde res quas impugnat, & vbique promiſcuè confundit, priſtino nitori reſtituemus.

Maiorum S. ARNVLFI ſtemma.

FERREOLVS I. Præfectus Prætorio Galliarum: Vxor PAPIANILLA.

2. RORICIVS Patritius Epiſcopus VCECIENSIS. — 1. TONANTIVS FERREOLVS II. Præfect. Prætor. Galliarum. — 3. FIRMINVS Patritius.

TONANTIVS FERREOLVS III. Senator: Vxor INDVSTRIA filia CLODOVEI.

3. FIRMINVS Ep. VCECIENSIS. — 2. DEOTARIVS Episc. ARISITENSIS. — 1. ANSBERTVS SENATOR: Vxor BLITILDIS. — 4. AIGVLFVS Ep. Met. — 5. RAGINFREDVS Com. Altiſſiod. — 6. GAMARDVS. GODA. MARIA.

2. FERREOLVS Epiſcopus VCECIENSIS. — 3. MODERICVS Epiſcop. ARISITENSIS. — 1. ARNOALDVS DVX. — 4. TARSITIA VIRGO. — GODINVS. — DODANA. DODALINA.

S. ARNVLPHVS Dux, ac tandem Metenſis Epiſcopus. — S. GOERICVS Epiſc. Metenſis. — S. SEGOLENA.

Digitized by Google

CAPVT II.

Aduerſus Roricium Vcecienſem Epiſcopum obiectiones, diſcuſſæ.

PRIMVS ex proceribus à Fabro in diſſertationis eius repetitione pulſatis exhibet ſe Roricius Vcecienſis Epiſcopus; nec illum Patritiatus cingulus, non Pontificales infulæ ab eius manibus exemerunt. Verumtamen vt ſcelus careat atrocitate, nec illum noſcit vt Patritium, nec veneratur vt Epiſcopum; ſed quod magis ſtupendum, malitia eius in cælos aſcendens, quem terris expulit, etiam è beatorum ſede putat ablegandum, cùm nullis nominibus vt ſibi ſuaſit, nulli auctores, non Eccleſiarum matriculæ, non dypticha ſibi adſcribant. Addit inſuper multùm erraſſe qui hunc inter Anſberti deceſſores collocarunt, ſimilitudine nominis decepti, cùm alterius Roricij, vel Ruricij, nulla extent veſtigia quàm Lemouicenſis, quem ex Romana Aniciorum, non Ferreolorum familia originem duxiſſe nemo dubitat. Pag 150. Cap. 4. diſſertat. hiſt. parte 1.

Tota hæc argumentatio eo præcipuè nititur fundamento, quòd de Roricio Vcecienſi nullam mentionem fecerit Gregorius Turonenſis, nec cuiuſuis alterius eiuſdem appellationis qui Patritij

Digitized by Google

dignitatem in Galliis ſuſtinuerit, Roriciorum tamen qui Lemouicinæ ſedi præfuerunt epitaphium extet apud Fortunatum, ac præterea Claudius Robertus in catalogo Epiſcoporum Vcecienſium Roricium de quo nunc agimus prætermiſerit. Silentium tamen aut quorumdam ſcriptorum ignorantia, non eius apud æquos rerum arbitros ſunt auctoritatis, vt veterum monumentorum ſuſpectam illicò fidem faciant.

At de Roricio Vcecienſi plura nobis ſuppetunt ad eleuanda quæ in eius excidium opponuntur argumenta. Eius enim vitam edidit Ioannes Dubouchetus, quam ſi quis attentè perpendat germanam antiquitatem redolere deprehendet, nec minoris faciet iis, quas nuſquam ſatis laudatus Andreas Ducheſnius publici iuris fecit. Hanc tamen non admittit Faber, quia ſic lubet, nec cur eam reiiciat aliam exprimit notam, quàm quòd nouiſſimè prodeat in lucem: Nulla igitur fides Sanctorum actis à Surio editis, & à Bolando, vel iam collectis, vel in poſterum colligendis, quia nunc è ſitu & puluere tardiùs exeunt. Si ridiculam Roricij vitam cenſuit, cur non eius, ſicut & actorum Firmini, & Ferreoli paraphraſim conſcripſit, vt quæ magis in ea dubia putat, indigitaret? An ne diſcrepat à veritate hiſtorica dum ait Euarigem Arelatem obſediſſe? at id apertè docent Iſidorus & Iornandes? Errat forſan cùm Probatium Epiſcopum Vcecienſem fuiſſe refert:

Digitized by Google

Hoc euincit etiam Concilium Agathenſe, cui Probatius interfuit & ſubſcripſit. Si hæc igitur vera, cur non & fidem faciet cùm Roricium ait eius fuiſſe ſucceſſorem natum patre Ferreolo Vi Præfectorio? Cur ei malè conueniet Patritiatus honos, cùm propria huius nominis notatione, *antiquiſsimæ cuiuſque Senatoriæ familiæ liberi, Patritii appellentur.* Liuius lib. 1.

Auditum primùm ait Faber ſub Arcadio & Pag. 7. Honorio Patritiatus nomen; at hoc falſiſſimum, ſeu ad antiquam huius nominis ſignificationem reſpiciamus, ſeu recentiorem aliam, vnde in Iure noſtro duplex Patritiorum acceptio nata. Prima vetuſtior hæc eſt, qua Patritij plebeiis perpetuò opponuntur, vt in *l. 1. ff. de off. quæſt.* ideóque Dionyſius Halicarnaſſeus ſcribit Romulum populum Lib. 2. bifariam diuiſiſſe, & nobiles genere, ac virtute quibus etiam liberi eſſent *patres* appellaſſe, ac progeniem eorum *Patritios*, reliquos verò *plebeios.* Recentior alia à temporibus Conſtantini cœpit, qui vt Zoſimus tradit Patritiatum honoris titulum primus excogitauit; Patritius enim cingulum Lib. 2. habuit, ſed non iuriſdictionem, vt ex eius formula conſtat apud Caſſiodorum: quod ſi nonnunquam Patritio aliquid iuriſdictionis tributum Lib. 6. ſit, vt nouella Valentiniani *tit.* 15. tunc ſubintelligendum, cum Patritiatu Magiſtratum fuiſſe coniunctum, vt ex eiuſdem nouellæ inſcriptionibus patet, aut Patritio poteſtatem aliquam ex-

Digitized by Google

tra ordinem à Principe fuiſſe conceſſam. At hac nouiſſima appellatione *Patritii* quaſi Principis *Patres* dicti, & hic honos Zenonis temporibus omnibus antepoſitus, ídque inter primi generis Patritios, & iſtos differentiam maximè conſtituebat, quòd ij ſic dicerentur quia Patres ciere poſſent, iſti verò Patres cierentur, Principis ſcilicet, ac conſequenter populi, quia Princeps populi loco eſt: Vnde Patritius à Suida dicitur πατὴρ τῦ κοινῦ, quaſi ad eos reſpiceret Patritios qui ad populorum regimen à Principe præficiebantur, quibus nihil apud Gregorium Turonenſem, ac Paulum Diaconum frequentius, iíque potiſſimùm in has Galliarum partes delegati occurrunt, quæ vltimæ Romanorum ditioni paruêre; nec enim depulſis Galliâ Romanis Francos has dignitates immutaſſe credendum eſt, quin imò inſtitutam à Romanis ciuilem Prouinciarum adminiſtrandarum normam longiſſimis temporibus conſtanter retinuiſſe, vt conſtat ex formula Patritiatus apud Marculphum, ex qua eandem Patritij ac Ducis functionem fuiſſe liquidò apparet; Vnde non malè in Canone *Omnis oppreſſus 2. quæſt. 6.* maiora negotia ſæcularia coram Patritio iudicantur, quia non ſecùs ac Dux, vel Comes iudiciariam poteſtatem exercebat. Vt Patritij nomen proſtrato etiam Imperio remanſit, ita & veteris inter eos Iuris quædam adhuc apud auctores emicant ſtricturæ: Nam vt olim ex illuſtribus nati Patricij

Digitized by Google

Patritij cenſebantur, ſic etiam ſequioribus ſæculis; adeò vt ſuprema hæc honoris appellatio, fœmininæ quoque ſoboli conueniret, vt conſtat ex Canone *Diaconum* 89. *diſtinct.* qui inſcribitur *Clementinæ Patritiæ*. Quemadmodum apud Gregorium I. ex quo hic Canon deſumptus eſt, plures extant Epiſtolæ, *Theotiſtæ Patritiæ*, *Ruſticianæ Patritiæ*, & *Euſebiæ Patritiæ* dicatæ. Quare cùm Roricius Vceciensis Epiſcopus natus eſſet ex patre Præfectorio, non ei malè ab auctoribus qui de eo mentionem fecere Patritiatus honos attributus, & cum Epiſcopali coniunctus, cùm apud Gregorium ſuprà laudatum legatur in veteribus exemplaribus epiſtola, *Arigio Epiſcopo*, & *Patritio de Gallia* inſcripta.

Nec me mouet quod nullus eiuſdem nominis apud auctores editos hac tempeſtate Patritius nuncupetur: Hac ratione eruditorum Virorum diligentia damnatur, quod nefas eſt. Quis enim Secundinum ex antiquis Patritium dixit; non certè Gregorius Turonenſis licèt ipſius meminerit, eúmque cum Aſteriolo rhetoricis tradiderit literis imbutum: Grammaticarius ergo ex eius mente dicendus eſt, non Patritius, & tamen hunc nominatim Patritium vocat Abbas Ionas in Vita S. Ioannis Reomaenſis, cuius ſi eruditi Fabri præualet ſententia nulla prorſus erit auctoritas, quia hanc nouiſſimè publici iuris fecit clariſſimus Vir Petrus Rouerius S. I. Quis vnquam ſub Da- Lib. 1. c. 1.

Digitized by Google

goberto Philippum Patritium audiuit antequam doctiſſimus Caniſius ex Monaſterio ſancti Galli epiſtolam Bertigyſeli Abbatis ad Deſiderium Cadurcenſem Epiſcopum inter tineas blattáſque deliteſcentem in lucem protuliſſet. Vt illuſtrium horum Virorum notitiam diligentiſſimis, ſed recentioribus ſcriptoribus debemus, ita & Roricij, cuius vitam ex antiquis exemplaribus tabularij S. Theodoriti Vcecienſis eruit nuperrimè Dubouchetus.

Nec de Roricio eius tantùm acta proloquuntur, his concinit Vita Apollinaris Epiſcopi Valentini, quæ hunc apertè Patritium & Epiſcopum *Vticenſem* vocat. ſicut & acta Firmini & Ferreoli, quæ quamuis in multis ſuſpicione non careant, in his tamen admittenda quæ ſucceſſionem Præſulum Vcecenſium reſpiciunt, cùm vnaquæque Eccleſia De Coron. milit. cenſus ſuos, & faſtos habuerit vt loquitur Tertullianus. Ideò Guillelmus Catellus in conſcribenda patriæ Occitanæ hiſtoria admodum diligentiſſimus lacunam Claudij Roberti reſarciens in catalogo Epiſcoporum huius ſedis, poſt Probatium ſubiungit Roricium: Andreas verò Sauſſayus 11. Octob. inter beatos ei locum aſſignat tum in Martyrologio Gallicano dum Firmini acta deſcribit, tum in Pag. 1140. eius Appendice.

Non ergo ſoli Duboucheto notus Roricius Vcecienſis, vt putat Faber, nec eum leui ductus argumento inter Anſberti Maiores collocauit,

cùm illum patre Ferreolo viro Præfectorio, quem Anſberti proauum multa inſinuant, vt infrà demonſtrabimus, natum eius acta teſtentur.

Nec ideò confundi potuit cum Lemouicenſi, quem ortum ex Aniciorum gente Fortunatus aſſeruit. Omiſſo enim familiæ diſcrimine, ſola temporum ratio vtrumque diſtinguit. Ruricius ſiquidem Epiſcopus Lemouicenſis antequam ad Epiſcopatum proueheretur, vxorem duxerat Iberiam Ommatij filiam, quæ ſe poſteà eiuratis ſæculi curis, vnà cum marito Deo mancipauit, vt docent Fauſti Reienſis Epiſtolæ: Horum nuptiale Epiſt. 6. & 7. carmen condidit Sidonius ad quem plures eiuſdem Ruricij Epiſtolæ nuperrimè prodierunt, ex quibus apertè colligitur celebres hos Viros coætaneos extitiſſe, ac Sidonium Ruricio ætate fuiſſe prouectiorem. Sidonius enim iam Epiſcopus, cùm Ruricius apud Aruernos vxorem duceret epithalamium conſcripſit, tum ei nondum Epi- Lib. 4. 5. & 8. ſcopo plures direxit epiſtolas. Hunc fato functum eſſe conſtat anno circiter 484. Roricium non niſi quinto demum ſæculo poſt ædificatam apud Lemouices Beato Auguſtino Baſilicam exceſſiſſe ſuſpicari licet; eius quippe nepos atque ſucceſſor Concilio Aruernenſi ſubſcripſit anno 535. At Probatium ſub ipſis quinti ſæculi initiis Vcecienſem Eccleſiam adminiſtraſſe certiſſimum eſt, cùm ſubſcripſerit Concilio Agathenſi anno 506. & hunc Roricij Vcecienſis deceſſorem fuiſſe

eius Vita quam Catellus ſequitur liquidò demonſtrat. Alius igitur Vcecienſis Roricius à Lemouicenſi, cùm hic Probatij coætaneus fuerit, alter ſucceſſor; quod ea etiam ratione deprehendi poteſt, quòd Ruricius Lemouicenſis Aſtidio ſuffectus fuerit, pluribus annis antequam Vcecienſis Probatio ſuccederet.

Sed forſan geminatis ictibus inſtabit adhuc Faber, alium fuiſſe Roricium Lemouicenſem nepotem prioris, qui & ille ſit, quem Vcecienſi Eccleſiæ Dubouchetus adſcripſit: Eadem tamen temporis ratio vtrumque iterùm diſcriminabit. Ruricius enim nepos qui ad inſtar patrui Beato Petro templum extruxit, ſubſcripſit vt iam dictum eſt Concilio Aruernenſi anno 535. & Aurelianenſi IV. anno 541. At Roricius Vcecienſis tunc è viuis exceſſerat, nam Firminus eius ſucceſſor eidem Aurelianenſi IV. Concilio interfuit, ac per conſequens ingenuè fatendum eſt, neutrum ex Roriciis, quos vno epitaphio complexus eſt Fortunatus, cum Roricio Vcecienſi poſſe conueniré. Nec enim ſimilitudo nominis inter perſonas differentiam ſuſtulit; aliàs quippe eundem Roricium Lemouicenſem, pro Bituricenſi Roricio qui eadem tempeſtate vixit, vir eruditus poſſet vſurpare, nec vlla magis vrget ratio quæ Vcecienſem cum eo confundat, cùm nec ille veteribus notus ſit, & à Gregorio Turonenſi minimè laudatus. Antiquis igitur Eccleſiarum monumen-

C. Robert. in Gallia Chriſt. Ioannes Chenu, veteresque omnes Catalogi Bituricenſium Præſulum.

tis fides habenda, non autem in ſola ſimilitudine nominum, quæ frequens occurrit, ariolandum: Plures enim eiuſdem nominis Epiſcopos vna, eadémque tulit ætas, vt apud Rotomagenſes, & Cabellicenſes Prætextatum; Ferreolum Lemouicibus, & Vceciæ; Ambroſium Mediolani Inſubrum, & Mediolani Sanctonum, vbi Martinus quidam Abbas degebat, qui ab hoc Præſule fuit ſepulturæ mandatus; vnde nata fabula, Martini Turonenſis funeri Ambroſium Mediolanenſem interfuiſſe.

CAPVT III.

Argumenta contra TONANTIVM FERREOLVM *hoc nomine III. expenſa, & an idem ſit cum* FERREOLO *de quo in Vita* S. FIRMINI.

SI ex Iureconſultorum ſententia iniuria creſcit, vel minuitur ratione perſonarum quibus illata eſt, non mirandum profectò quòd impugnato Roricio Vcecienſi Epiſcopo, iratus Faber in Tonantium Ferreolum hoc nomine III. impetum ſuum perferat, cùm Epiſcopus maior ſit Senatore, & Eccleſiaſtica dignitas ſuperet Laïcam. Ait igitur Pag. 151.
nulli auctori ſub nomine Tonantij cognitum eſſe; falsò ipſi Senatoris titulos aſſignatos, extare

Digitized by Google

quidem epiſtolas Sidonij ad Tonantium, ſicut & ad Ferreolum, ſed non ideo extitiſſe aliquem, qui Tonantius Ferreolus fuerit appellatus: Quin imò Sauaronem doctiſſimum Sidonij notatorem eleganter indicaſſe in epiſt. 12. libri 7. Ferreolum Epiſcopum fuiſſe Arelatenſem, & in epiſtola libri 2. nullam mentionem fieri Tonantij-Ferreoli, ſed filiorum Tonantij non expreſſis etiam illorum nominibus. Argumentum prætereà ductum ab erudito Duboucheto ex Vita S. Apollinaris Epiſcopi Valentini, in qua Ferreolus ex genere Roricij Vcecienſis Epiſcopi dicitur, nullius eſſe momenti, cùm ſermonem habeat de Roricio, vt ait, ſuppoſititio.

Pag. 136.

Verùm ſi hæc certior interpretatio cenſenda eſt, quæ ab ipſis petitur auctoribus quorum intellectus inueſtigatur, Sidonius ipſe Fabrum inſequetur, dolebítque mentem ſuam iniquè traduci. Aduertere quippe debuerat in eius operibus tres Ferreolos recenſeri, duóſque poſtremos nunc Tonantij, modò Ferreoli, coniunctis etiam quandoque appellationibus promiſcuè deſignari. Et quidem in Propemptico apertè denotat Sidonius Ferreolum Præfectum Prætorio Galliarum Syagrij Conſulis generum, Tonantij patrem fuiſſe: ſic enim librum ſuum alloquitur:

Ibis Treuidon, & calumnioſis
Vicinum nimis ? Heu iugum Ruthenis.

Digitized by Google

Hic docti inuenies patrem TONANTI
Priſci FERREOLVM *parem* SYAGRI,
Coniux PAPIANILLA, *quem pudico*
Curas participans iuuat labore.

En modò vt in epiſtola 7. lib. 1. eidem Tonantio, patris ſeu Ferreoli nomen tribuit: *Interea*, inquit, *Legati Prouinciæ Galliæ* TONANTIVS FERREOLVS *Præfectorius*, *Affranii Syagrii Conſulis è filia nepos*, *Thaumaſtus quoque*, *&* *Petronius*, *maximâ rerum*, *verborúmque ſcientiâ præditi*, *&* *inter principalia Patriæ noſtræ decora ponendi*, *præuium Aruandum publico nomine accuſaturi*, *cum geſtis Decretalibus inſequuntur.* Expendat amabo vir eruditus, an hæc elegantiſſimi Præſulis verba de alio Ferreolo intelligi valeant, quàm de eo, quem Tonantium in Propemptico appellauit, cùm illum Syagrij Conſulis ex filia nepotem vocet.

Non ergo Ferreolus à Tonantio diſtinguendus quaſi duo ſint, ſed vnicus Ferreolus prænomine Tonantius, ſicut eodem loco Affranius Syagrius vnius eſt appellatio, non duorum, quod ipſum rei de qua agitur in hac epiſtola ſatis etiã vindicat argumentum. Ait enim Sidonius legatos ad Aruandi accuſationem Romam è Galliis miſſos; quorum numerus legibus Romanis definitus erat, vt rectè annotauit hoc loco doctiſſimus Sirmondus, nec vltra tres ab vna Prouincia mitti licuit; ſi autem Tonantium à Ferreolo ſeiungas, quatuor

erunt, quod leges vetant;& in id elegans eſt Veſpaſiani edictum de quo Martianus in *l. ſciendum* §. *vlt. ff. de legation.*

At hunc Ferreolum Syagrij nepotem alterius Ferreoli quem Tonantium Sidonius vocat, patrem fuiſſe libri 2. epiſtola 9. ſatis indicat : in ea quippe rationem reddit Donidio quomodo in agris amœniſſimis non longè à Nemauſo cum Ferreolo, & Apollinari voluptuoſiſſimum tempus exegerit, & dum ex prædio Apollinaris, cui nomen erat *Voroangus*, ad fundum Ferreoli qui dicebatur *Pruſianus* alternatim conuiuantes diuertiſſent, TONANTIVM *cum fratribus, lectiſſimos æquæuorum nobilium principes* ſtratis ſuis eiecerint, *quia nec facilè crebro cubilium instrumenta circumferebantur.* Quis quæſo Tonantius ille cum fratribus ſuis in Ferreoli domo decumbens, quàm Ferreoli filius, cui admodum iuueni Sidonius libri 9. epiſt. 13. verſus quoſdam mittit, quos iam à longo tempore ſub imperio Maioriani rogatu cuiuſdam ſodalis compoſuerat, dum ad cœnam conuenirent. Quis etiam Ferreolus de quo ſermo in epiſtola ad Donidium, quàm Præfectorius ille Syagrij Conſulis nepos, cùm in ea Sidonius affinem ſuum vocet, quo nomine eum proſequitur in epiſtola 12. lib. 7. in qua illum laudat ex triplicibus Syagrij præfecturis. Si verum igitur ſit Ferreolum hunc Tonantij patrem fuiſſe, tres apud Sidonium Ferreoli deprehendentur. Primus Syagrij gener, alter Syagrij nepos præno-

Eius vide deſcriptionem in Propemptico : vtriuſque fundi nomē adhuc ſeruatur & ea regione qua Gebennici montes Nemauſenſem agrum à Rutenenſi ſecludunt. Non longè enim *Tre[illegible]do* mons eſt qui dicitur *Leſperou*, deductâ voce vernacula à fundo *Pruſiano* : nec inde procul *Voroangus* qui hodiéq; *Valarangue* nuncupatur, ex quo demiſſus *Arauraris* iuxta *Agatham* fluit, non vt voluit Plinius *Araris* ; nec multò interiecto ſpatio *Vardo* Anduſam delabitur.

prænomine Tonantius, tertius etiam Tonantius dictus Syagrij nepotis filius; Nec errauit diligentiſſimus Dubouchetus cùm illum Tonantium Ferreolum dixit, quia ſub hac appellatione eius quoque patris apud Sidonium nomen expreſſum, nec duo ſint Tonantius & Ferreolus vt iam diximus, ſed vnius eiuſdémque Ferreoli nomenclatura, quem etiam malè Faber ex Sauaronis ſententia inter Epiſcopos Arelatenſes collocat; Nam ea tempeſtate, huic ciuitati præerat Leontius, cui ſucceſſor extitit Æonius, & Æonio Cæſarius, eáque cauſa eſt, cur inter epiſtolas quas Epiſcopis ſcripſit Sidonius, illam quam Ferreolo inſcribit, inſeruerit, quòd Epiſcopis illum admiſcens, maiorem ipſi honorem exhibere putauerit, quàm ſi Senatorum claſſi adiungeret, *iuſtiúſque fieri ſi* hunc *inter perfectos Chriſti, quàm ſi inter Præfectos Valentiniani conſtitueret.* Ad epiſt. Sidonij 11. lib. 7.

Optimè quoque Senatoris ei titulum tribuit Dubouchetus, cùm duorum Præfectorum Prætorio Galliarum filius fuerit, & nepos: Senatorum enim filij auitæ, & paternæ laudis hæredes eſſe cenſentur, *l. 6. & ſeqq. ff. de Senator.* Ideóque *in l. vlt. cod. tit.* Senatores omnes dicuntur, *qui à Patritiis & Conſulibus vſque ad omnes illuſtres deſcendunt*, quæ verba deſumpta ſunt ex Nouella 62. & à Triboniano huic legi compacta.

Senatorum autem tituli in Galliis primùm auditi, cùm temporibus Iulij Cæſaris plures ex Gallia Narbonenſi in curiam allecti fuêre, vnde facetum Sueton. in Iul.

Digitized by Google

illud dictum emanauit, *Galli braccas depoſuerunt, latum clauum ſumpſerunt.* Tanta verò apud Principem gratiâ valuere, vt ob egregiam in Patres reuerentiam eius Prouinciæ Senatoribus non exquiſitâ Principis ſententiâ res ſuas inuiſere liceret, licèt aliis Auguſti decreto ſine commeatu ius abeundi non eſſet. Quæ in fauorem perſonarum à Romanis primùm conceſſa gratia, ad Ciuitates deinde fuit explicata, quibus iure Latij conceſſo id inter cætera municipibus tributum, vt poſt adeptum inter ſuos Magiſtratum, inter Ciues Romanos adſcriberentur: Vnde rectè de Nemauſo notat Strabo, eos qui quæſturam, aut ædilitatem illic conſequuti eſſent, inter Ciues Romanos reputari: Sed hoc ius Antonini conſtitutione ſublatum dum Orbi Romano ciuitatem contulit, qua ratione ad Romanas dignitates Prouincialibus liber aditus fuit, indéque natum, vt qui ex ipſis inter illuſtres fuerint adſcripti, ad poſteros ſuos Senatorij nominis gloriam vti præ cæteris nobiliorem ſine codicillis, contrà quàm putauerit Faber, feliciter tranſmiſerint: eorúmque apud auctores frequens occurrit mentio. Ideò apud Sidonium Eutropius dicitur *Senatorii ſeminis homo*, ſimilíque ferè loquendi formula Eparchius apud Gregorium Turonenſem *ex genere Senatorio.* Erat quippe adhuc Roma pro pretio, licèt Imperij maieſtas omnino defeciſſet, multúmque deceptus eſt Faber vt Senatorum huiuſmodi gloriam deprimeret, cùm ex eodem

Tacit. lib. 2.

Dio. 52.

Lib. 4.

L. in orbe. ff. de ſtat homin

Lib. 1. epiſt. 6.

Mirac. li. 1

In Præf. p. 25.

Lib. 5. ca. 15.

by Google

auctore eorum filios ad fœderis inter Theodoricum, & Childebertum initi ſtrictiorem obſeruantiam obſides datos, in ſeruitutem redactos narrat. Inde ſiquidem patet hos inter nobiliores reputari, cùm non niſi primi ordinis homines inter Reges obſides dari ſoleant. Hoc & ipſe Gregorius eodem loco ſatis indicat, dum ait Barbarum cui Attalus Gregorij Lingonici nepos ſeruiebat, oblata pro eius libertate munera reſpuiſſe, cùm *hic* (vt aiebat) *de tali generatione decem auri libris redimi* deberet. Et quidem Viros hâc honoris prærogatiuâ inſignes, cæteris longè ſuperiores docet idem Præſul, dum meminit Senatorum vrbis Aruernæ, *qui nobilitatis Romanæ ſtemmate refulgebant*. Et Eparchium preſbyterum, *iuxta ſæculi dignitatem nobiliorem* haberi tradit, quòd ex Senatoribus originem duceret; indéque Fortunatus in Epitaphio Leontij Burdigalenſis ſic eius natales celebrat, Lib. 1. de glor. Conf.

Nobilitas altum ducens ab origine nomen
Quale genus Romæ fortè Senatus habet.

Non obſcura igitur vt putauit Faber familia Ferreolorum, quæ peculiari hac dignitate decorata fuit: nec ideò deprimenda quia Narbonam inhabitabat. Quid Auitus niſi *Ciuis Aruernus*; qui tamen aſſumpſit Imperium? *Ciuem* enim apertè hunc vocat Gregorius Turonenſis lib. 2. cap. 11. *Auitus*, inquit, *vnus ex Senatoribus, & vt valdè manifeſtum eſt, ciuis Aruernus*. Frigidum igitur inde trahit Faber altercandi ſtudium: ſola quippe quæſtio verti- In Præfat. p. 25.

tur an Ferreolus qui Firmini pater dicitur, in eius Vitæ actis, idem ille ſit qui Tonantij Ferreoli Syagrij nepotis filius à Sidonio indigitatur. Non hoc certè palàm adſtruunt monumenta à clariſſimo Duboucheto laudata: Plura tamen occurrunt quæ ſimul iuncta id non leuiter ſuadeant. Conuenit enim temporis ratio, quæ in genealogicis argumentis maximè ſpectanda: accedit deinde communis vtriſque patria Narbonenſe ſolum, nomen etiam genti familiare; tum in Vita ſancti Apollinaris Valentini, quæ nullis aliis næuis laborat, niſi quòd Fabro non ſuffragatur, Ferreolus Vir illuſtriſſimus Narbonæ degens *ex genere Roricii Patritii & Vticenſis Epiſcopi* dicitur, quem eius Vitæ acta natum referunt *Ferredo Viro Præfectorio*, ac per conſequens ex eorum gente, quam laudat Sidonius. Firminus præterea quem Ferreoli filium eius Vita teſtatur, in iiſdem Roricij actis, *Roricii propinquus*, & in Vita Firmini *de ipſius progenie* aſſeritur. His addit quòd Aigulphus & Anſbertus Firmini fratres, vt infrà probabimus, ex Senatorum genere dicuntur oriundi, ac præterea Ferreolus Epiſcopus Vcecienſis Anſberti filius auitum familiæ nomen ſeruat: Anſbertus inſuper in veteri genealogia à clariſſ. Ioanne Beſlio ex Bibliotheca Papirij Maſſoni edita, *ex Imperiali proſapia ortus* proclamatur, quod optimè conuenit cum ſtémate ab erudito Dubouchetо edito: ex quo patet Tonantium Ferreolum hoc nomine II. Auiti Imp. filiam vxorem

duxiſſe, quæ retrorſa ſerie genealogica hac ratione Anſberti auia reperitur. Mouet etiã quod Deotharius eiuſdem Anſberti frater in pago Ruthenico Ariſitenſem vicum conſtruxerit, qui conterminus eſt antiquo Ferreoli I. domicilio, Treuido nempe, hodie *Treues* ab incolis dicto. Pugnare tamen videtur cum Sidonij mente Ferreoli Vceciensis Epiſcopi Vita, dum Anſberti patrem, Ferreolum ſcilicet, *Gentilitatis ritu ſuperfluo* detentum refert, quem nihilominùs, ſi idem ille ſit ac Tonantius cuius idem Præſul meminit in lib. 2. epiſt. 9. de recta fide non ſecus ac genitores eius bene ſentientem inſinuat; quia tamen vt ex eodem auctore colligitur, is admodum iuuenis, ac teneræ ætatis erat tunc cùm Sidonius ſcriberet, fieri potuit vt Gothis Septimaniâ & Aquitaniâ potitis Arrianam fidem amplexus fuerit, aut huius Vitæ auctor dum Ferreoli Maiores, apud Gothos degentes audiuit, eorum quoque dogmatibus hunc imbutum ſibi ſuaſerit, vt eò magis Beati Viri quem laudabat, virtutem extolleret, quò à parentum fide, quos incongrua ſignificatione *Gentiles* dixit, longè alienum repræſentaret. Christianos enim per eminentiam dicebant veteres, verè fideles; vt apud Gregorium Turonenſ. Amalricus Rex Gothorum vt Childeberto ſe ſubduceret, dicitur *in Eccleſiam Chriſtianorum* confugiſſe, quaſi Arriani *Gentiles* potiùs, quàm Chriſtiani reputarentur.

Lib. 7. ep. 12.

Lib. 9. ep. 13.

CAPVT IV.

An CLODOVEO *Francorum Regi filia fuerit*, FERREOLO *nupta*.

LICET imbecillitatem, muliebris ſexus ſortem eſſe natura voluerit, eam tamen impenſâ quadam erga ipſum reuerentia, quam in hominum mentibus inſpirauit, abundè videtur compenſaſſe. Sed erga Fabrum vel illa impotens, aut ille non ſatis vrbanus, vt fœminæ parcat nobiliſſimæ, cui primùm de ſtatu ſuo quæſtionem mouet. Ait enim Ferreoli III. vxorem nuſquam Clodouei filiam fuiſſe, contrà quàm cenſuerit amicus noſter Dubouchetus: Acta vitæ ſancti Firmini in quibus INDVSTRIA dicitur, commentis ſcatere, eorúmque falſitatem in eo tum maximè deprehendi, cùm eam indigitent appellatione Latina nondum apud Francos temporibus Clodouei recepta, quibus propria nomina Germanicam adhuc ſquammam redolebant; Gregorium præterea Turonenſem, nec alios auctores quidquam de ea retuliſſe.

In 1. parte c. 5. in 2. toto c. 2. p. 47. In repetitione operis p. 251.

Sed vt criminis quædam ſpecies eſt ſtatum mentiri, quod Legibus interdum vindicatur; ita in falſum accuſatorem actione iniuriarum vel calumniæ agi poteſt, prout vindictæ genus actor elege-

L. vn. c. ad l. Viſell.

Digitized by Google

rit. Vtraque autem Fabrum experiri poſſe facili negotio demonſtrabitur, licèt ingenuè fateamur in B. Firmini vitam plura irrepſiſſe hiſtoricæ veritati minùs conſentanea. Sed vt rectè Gerardus Voſſius annotauit, dubium non eſt *ex eiuſmodi quoque ſcriptoribus poſſe aliqua hauriri, quæ ad temporum ſuperiorum hiſtoriam pertineant.* Conſtat ſiquidem apud Gallicanas Eccleſias olim Sanctorum acta in eorum feſtiuitatibus palam recitari ſolita, non in Lectionibus modò nocturnorum ex decreto Cōcilij Africani I. & Carthaginenſis IV. Can. 47. ſed in Liturgicis etiam præfationibus contra vſum Eccleſiæ Romanæ, quæ nouem tantùm præfationes ex conſtitutione Pelagij II. admiſerat. Ideóque cuiuſque Sancti officium libello ſingulari continebatur, vt teſtatur Gregorius Turonenſis dum Apollinarem Sidonium non ex codice Cyriaci ſolemnia peregiſſe narrat, ſed ea ex tempore mirantibus omnibus explicuiſſe. Antequam verò Sanctorum geſta recitarentur, eorum feſtiuitatem pridie denunciari indicat vetus formula Codicis Remenſis Caroli Magni tempeſtate deſcripti, ſub quo iam narrationes in Liturgicis præfationibus expreſſæ ad inſtantiam Romanorum Pontificum in Gallia obſoleuerant. Non hac tamen ratione Sanctorum acta concidere, nam vt Tertulliani verbo vtar, Eccleſiæ ſicut & Ciuitates *ſolemnitatum proprietates* habuere: Vnde nos *proprium Sanctorum* dicimus codicem, in quo eorum geſta breuiter refe-

L. 16. ff de liber. cauſ. & 31 c. eod.

De Hiſtor. Lat. l. 3. c. 11.

Apud Burc. l. 3. c. 69.

Hiſt. lib. 2. c. 22.

Hug. Menardus in not. ad Sacrament. S. Gregorij.

De Coron. milit.

runtur; ſed in eo deſcribendo, id plerumque ipſis accidit quod imaginibus, quas dum pictores ab aliis depromunt, vtplurimùm à prima recedunt; nam vel breuitatis ſtudio truncata, vel Sarracenorum, aliorúmve infidelium irruptionibus deperdita, traditionis auxilio reſtituta fuêre, quod eò faciliùs Firmini, & Ferreoli actis à Dubouchero editis eueniſſe mihi ſuadeo, quòd Narbonenſis ciuitas è qua prodeunt, à Sarracenis vſque ad Caroli Martelli tempora fuerit occupata: Vnde ne nouis emergentibus Sanctorum monumentis, nouæ quoque feſtiuitates colerentur à populis, Concilio Francofurdienſi conſtitutum, vt hæ dumtaxat ſolemnitates admitterentur, quæ *ex auctoritate paſſionum* eſſent receptæ. At receptam B. Firmini Epiſcopi Vcecienſis memoriam, ex ipſo Martyrologio Romano ſuo loco probabimus: Quare non eius acta vti commentitia penitùs ableganda, ſed quæ hiſtorica ſunt cum temperamento admittenda: Nam ſi Sanctorum Vitæ ideò reſpuendæ, quòd in iis admixtæ quandoque ſint Monachorum viſiones, eadem ratione quas Gregorius Turonenſis literis mandauit, nullius erunt auctoritatis, & tamen ex his plura ſupplentur quæ in Hiſtoriarum libris prætermiſerat, eiuſdémque conditionis cenſenda, pleraque Sanctorum acta ante Paulum Diaconum & Vſuardum conſcripta, qui primi ex his nonnulla næuis nimiæ credulitatis iuſſu Caroli Magni expurgarunt. Separanda igitur

tur veritas à figmento, eáque colligenda quæ ad illuſtrandam Hiſtoriam non modicum proficiunt, vt in hac Vita ſancti Firmini; ſermones verò quos cum Angelis ille habuit, & cœleſtem muſicam quâ decedens à ſuperis exceptus eſt, allucinationes crede ſi velis, in eo tantùm laudatur, quòd Firminum Ferreolo & Induſtriâ natum dicat, ac iuniorem Ferreolum eius eſſe nepotem ex fratre, vtroſque demum Vceçienſi Epiſcopatu functos: Nam cùm aliunde conſtiterit Firminum, & Ferreolum huic Cathedræ præfuiſſe, Clodoueum verò filiam ſuſcepiſſe, quæ Aigulphi Firmini fratris mater fuerit, Anſbertum denique Ferreoli iunioris patrem, Aigulphi, & Firmini fratrem extitiſſe, ex hoc capite Firmini Vita licèt Monachorum mente plena, donec meliora emergent monumenta, non mediocrem fidem faciet. At Firminum Ferreolo natum fratres habuiſſe Anſbertum & Aigulphum; Firminū autem & Ferreolum continua ſerie Vceçienſi Cathedræ inſediſſe, infrà demonſtrabimus, dum illos à Fabri manibus eripiemus, oppreſſæ modò ſuccurramus fœminæ nobiliſſimæ.

Hanc amicus noſter filiam Clodouei dixit, & meritò quamuis eam hoc nomine Firmini Vita, quam ipſe edidit, non deſignet: ait enim tantummodò Firminum à Roricij miniſtro de parentibus, & patria interrogatum reſpondiſſe, patrem eius Ferreolum, matrem verò Induſtriam nominari;

ſed quod hic auctor reticuit, aliunde per conſequentias elicitur. Vetus enim Genealogia ſancti Arnulfi tempore Pipini Francorum Regis deſcripta, quam nobis ſuppeditauit Vir clariſſimus Vignerius Congregationis Oratorij apud ſanctum Maglorium Pariſiis Præfectus, longè puriorem eâ quæ ex codice ſancti Vincentij Metenſis prodierat; nec non auctor Vitæ eiuſdem Arnulfi à R. Patre Thoma Aquinate laudatus, pluréſque alij auctores qui ſub eodem Pipino, Lothario Ludouici Pij filio, & Carolo Caluo ſcripſere, varios fratres adſcribunt Anſberto Ferreoli Senatoris filio, inter quos Firminus Vceciensis Epiſcopus, & Aigulfus Metenſis annumerantur. At Paulus Diaconus qui temporibus Caroli Magni vixit, ſic de Aigulfo loquitur: *Vigeſimus ac ſextus* Pontifex, ſcilicet Metenſis, *Agiulfus qui fertur patre ex nobili Senatorum familia orto, ex Clodouei Regis Francorum filia procreatus.* Loquitur quidem is auctor ex fama quæ eius tempeſtate vigebat, adeò vt incerta quodammodo huiuſmodi narratio videatur, ſed præterquáquòd hæc loquendi formula frequens occurrit apud auctores in rebus etiam certiſſimis adſtruendis, vt ex Gregorio Turonenſi, & aliis, R. Pater Hugo Menardus eruditè annotauit in diſſertatione de vnico Dionyſio, vetus auctor qui Beati Clodulfi Epiſcopi Metenſis acta literis conſignauit, apertè declarat geſta Pontificum huius ſedis (non illa quidem mendoſa, & recentiora quibus vſus eſt Dubou-

Cap. i. p. 19.

chetus, ſed antiquiora alia, vt ex eo coniicere licet, quod is auctor ſcripſerit ſub Pipino, vt infrà patefaciam) Aigulfum, Anſberti, & Firmini fratrem, ex Clodouei filia natum agnouiſſe, vnde Clodulfi natalium celebrandorum, non rudis ille, & impolitus vt ſequior ætas ferebat, auctor argumentum deſumit: Sic enim habet: ARNOALDVS *quem dicimus, patrem habuit* ANSPERTVM *qui ditatus non ſolùm rerum opulentia, verùm fratrum dignitate, & conſociali excellentia, glorioſus effulſit: Sanctus nempe* AIGVLFVS *Metenſium Præſul magnificus, quem Geſta Metenſium Pontificum* EX FILIA CLODOVEI *Regis procreatum dicunt: qui Clodoueus prædicante ſancto Remigio Remenſium Pontifice, & ſe & totam Franciam Chriſtianæ religioni primus ſubdidit, & in honorem debitum decus Eccleſiæ prout vnquam plus potuit, dilatauit, & exaltauit:* DEOTARIVS *Ariſidi Pontifex, &* FIRMINVS *Vceciæ itidem Pontifex, &* GAMARDVS *ſancti Goerici Præſulis genitor, &* REINFREDVS *fratres huius* ANSPERTI *extiterunt.* Antiquus etiam Epiſcoporum Metenſium index nondum editus, cuius pro ſolita ſua humanitate copiam mihi fecit clariſſimus Vir P. Puteanus, non ex aliorum relatione, ſed propria affirmatione Aigulfum Clodouei filia natum perhibet. *Hic Aigulfus,* inquit, *ex filia Clodouei Regis ortus eſt.* Cùm ergo Firmini pater Ferreolus fuerit, eiúſque mater, vt ait auctor Vitæ B. Firmini, Induſtria; ſequitur eam eſſe filiam Clodouei, de qua ſuprà laudatus ſcriptor, & Paulus Diaconus; niſi probauerit eru-

Digitized by Google

ditus Faber Ferreolum duas vxores duxiſſe, & ex alia quàm ea quæ Clodouei ſoboles dicitur, Anſbertum & Firminum ſuſcepiſſe, quod donec præſtabit (neganti enim probatio incumbit) vt in præiudiciali cauſa ſit, ſecundùm nobiliſſimam fœminam iudicium ferri debet, eóque iuſtiùs quo in genealogia ſancti Arnulfi ex codice ſancti Symphoriani Metenſis deſumpta (quam ingenioſiſſimi viri P. Petiti Borbonienſis regiis arcibus muniendis Præfecti beneficio nacti ſumus) Anſbertus, Aigulfus, Firminus, Deotarius & Raginfredus fratres *germani* dicuntur.

Nec in eam ideò ſuſpicio cadere poteſt, quòd eius nomen voce Latina deſignetur, eodem argumento Magnentium, Bonitum, & Siluanum Francorum Duces, natione Francos non fuiſſe dicendum eſt, cùm tamen contrarium inſinuent Iulianus Imperator, & Ammianus Marcellinus. Certum quippe eſt iam à tempore Conſtantij Francos in palatio floruiſſe, ac cum Romanis neceſſitudine iunctos. Idque ſatis probat epiſtola Sidonij ad Arbogaſtem Arigij Comitis Treuerorum filium è ſtirpe Arbogaſtis alterius Franci, Valentiniani iunioris aſſidui comitis, quem inter Barbaros non minùs ſtylum tractaſſe, quàm gladium, docet elegantiſſimus Præſul, *ac ſermonis Romani pompam Belgicis olim ſiue Rhenanis abolitam terris* ita excoluiſſe, vt licèt *apud limitem ipſum Latina iura cecidiſſent, verba non titubauerint.* Nonne ex eodem

In laudat. Imp. Conſt. Marcel. lib. 15.

Lib. 4. Epiſt. 17.

cum Romanis commilitio Childericus ob nimiam libidinem, & intemperantiam à Francis regno pulſus, eiúſque in locum ſubſtitutus Ægidius Magiſter militum Romanorum in Galliis. Nonne Mauricius Auguſtus in epiſtola ad Childebertum Regem amicitiam à prioribus Imperatoribus cum Francis initam *Priſcam* vocat? Numquid lingua Romana à quibuſdam ex Regibus noſtris in pretio habita, & ex eius ſtudio Charibertus his verſibus à Fortunato laudatus,

Cùm ſis progenitus clara de gente Sicamber,
Floret in eloquio LINGVA LATINA *tuo:*
Qualis es in propria docto ſermone loquela
Qui nos Romanos vincis in eloquio.

Imo & proſtrato iam Imperio quædam adhuc Romanæ Reipublicæ apud Francos tributa reuerentia, quippe qui quandoque in ſubſcriptionibus Conſulatum Romanum exprimerent, vt patet ex Concilio Aurelianenſi I. & Aruernenſi, modò expreſſis ſimul Regum Francorum, & Conſulum Romanorum nominibus, vt in Aurelianenſi III. Erat hæc nempè Gallis patribus vana fides tunc orbem Chriſtianum periturum cùm Romanum periret Imperium, cuius elegans veſtigium eſt in Vita B. Deſiderij Cadurcenſis Epiſcopi ante mille Cap. 18. annos ſcripta, vbi Deſiderium Barbarorum victorias ſic lugentem inducit; *Noſtris peccatis Barbari fortes ſunt, Romanum ſuccumbet Imperium*; eáque cauſa eſt, cur in antiquis Eccleſiæ Gallicanæ precatio-

Digitized by Google

num libris extet oratio *pro Romano Imperio*, quæ quotannis feria 6. in Paraſceue recitatur, cui in veteribus quibuſdam Ritualibus ſubiungitur alia *pro mora ſæculi*, quaſi tunc excideret, cùm Imperij Romani iactura immineret. Inde non nouum videri debet, quod ſub primis Regibus apud Francos Latina interdum nomina inualuerint, nec niſi peruicax negare poteſt, hos ſaltem Germanicis vocibus vſos, ex quarum interpretatione ſequioris æui ſcriptores Romana nomina effinxere, vt patet in nomine *Bertæ* quæ Candidam denotat, in nomine *Cunegundis* quæ Opórtunam, *Ingundis* quæ bonam, *Teudichildis* quæ modeſtam indolem, *Blthildis* quæ lætam, *Bathildis* quæ lucro deditam, vnde nata propria nomina Romana, *Candidæ, Modeſtæ, Oportunæ, Bonitæ, Gaudioſæ*, aliorúmque ſimilium, quæ vti dulciora eiuſdémque ſignificationis pro Germanicis ignari ſcriptores repoſuerunt. Ita *Induſtriæ* nomen, barbaræ vocis, forſan ad *Bathildis* notationem compoſitum, interpretatio Latina eſſe poteſt, aut nobiliſſimæ mulieris agnomen ex eius ſedulitate deductum, ſicut in quodam Duce Dracoleno, qui ſub Childeberto Rege, ex relatione Gregorij Turonenſis, *Induſtrius* dicebatur; vel hoc nomen in Germaniam eò faciliùs irrepſit, quò in veteri elencho propriorum nominum in Alemãnia Curienſi, & Burgundia receptorum ab erudito Ioachimo Wadiano edito, iſta hoc ordine reponuntur *Bonita, Ianuaria*, INDVSTRIA: conterminas

Deuoluto ad Francos Imperio ſic oratio concepta fuit: *Omnipotens ſempiterne Deus, reſpice ad Romanum atque Francorum benignus Imperium, &c.* vt videre potes in libris Sacramentorum à R. P. Menardo editis.

Ex Comment. Bertij Pont. Euth. & Hadriani Setiexij.

Lib. 5. c. 26.

enim gentes nemo ambigit, ac tam frequens fuiſſe veterum huiuſce regionis colonorum, cum Germanicis populis commercium, vt tandem in illorum poteſtatem deuenerint, antequam Franci cis Rhenum longiùs protenderentur.

Vrget quidem Faber Clodoueum Romani nominis hoſtem fuiſſe, veluti qui Syagrium deuicerit, & Auguſtam Sueſſionum Syagrij Regiam imperio ſuo ſubiecerit: Sed Clodoueum ob inuaſum ab Ægidio paternum Regnum, hæreditarium magis odium in Syagrium exercuiſſe, quàm quòd Romanis homo Gallus imperaret, vt ſibi ſuaſit, debuerat obſeruare: Nam ſi Clodoueus Romanis fuiſſet infenſus, Codicillos Patritiatus ab Anaſtaſio ſibi miſſos proculdubio reſpuiſſet, quos tamen ita magni fecit vt tunicâ blatteâ & chlamyde indutus, impoſitóque vertici aureo diademate, per vicos Turonenſis Ciuitatis miſſilia larga manu ſpargens ſuperbus inceſſerit. Patritiatus codicillos dico, vt noſcat Faber malè ſe Dubouchetum arguiſſe dum non *Conſulem*, ſed *Patritium* Clodoueum dixit: Promiſcua enim ſunt apud auctores Conſulis & Patritij vocabula, nam & ipſe Gregorius Turonenſis, vt conſtat ex veteribus editionibus, libri 2. caput 38. *de Patritiatu Clodouei* inſcribit, idque abundè teſtantur Remigij verſus Clodouei ſepulchro inſculpti,

In præf. p. 15.

Diues opum virtute potens, clarúſque triumpho
Condidit hanc ædem Rex Clodoueus, & idem

PATRITIVS *magno ſublimis fulſit honore.*

Non inde tamen prorſus aſſererem Clodoueum filiæ ſuæ Latinum *Induſtriæ* nomen impoſuiſſe; Variant etenim in hac appellatione exéplaria, nam ad calcem Vitæ B. Ferreoli Vcecienſis ab ea quam Dubouchetus edidit omnino diuerſæ, exſcriptum eſt fragmentum Vitæ B. Firmini, in qua eius mater non Induſtria ſed *Sidonia* nuncupatur; & quamuis vtraque appellatio Latina ſcrupulum non moueat, vt Agiulfi Firmini fratris matrem, Clodouei filiam negem, facilè tamen irem in ſententiam clariſſimi Viri Ducheſnij qui huiuſce genealogiæ primus auctor fuit, vt ex eius ſchedis quas vidi, conſtat, in quibus Induſtriæ nomen pro *Deutriæ*, aut *Deutheriæ* repoſitum putat, quod Germanicum eſſe manifeſtum eſt.

Extat Tholoſæ in Biblioth. Fuxenſi.

Non etiam in me vim facit Gregorij Turonenſis ſilentium, quo Regiam Virginem altè inuoluit, ex argumento enim negatiuo certum eſt nullam induci validam probationem, tùm præcipuè cùm de rebus hiſtoricis agitur, quæ cùm in facto conſiſtant, contrario facto ſunt vindicandæ: Hâc quippe ratione Theudichildis non ſecus ac Aigulfi mater, Clodouei filia dicenda non erit, & tamen hos illi natales tribuunt Chartæ quædam, quibus adſtipulantur Robertus Altiſſiodorenſis in Chronico, qui eam Monaſterium S. Petri Viui apud Senones fundaſſe tradit, eadémque illa eſt cuius extant epitaphia Fortunati & Odoranni; Nec me

Mauriaci apud Aruernos, cuius ipſa fundatrix.

me moratur clariſſimi Viri Hadriani Valeſij, quem pluris facio coniectura, dum eam Theodorici I. filiam fuiſſe putat; quæ enim de ipſa proloquitur, apertè quidem Broueri mentem impugnant, qui eam Theodeberti matrem dixit, ſed non ſatis probant eam Theodeberti fuiſſe ſororem, cùm eius quam Procopius Hermegiſclo primùm, deinde Radigero Varnorum Regibus nuptam tradit, nomen reticeat, ac deinde cum hac ſententia temporis ratio non conueniat, vt optimè notauit clariſſimus vir Philippus Labbeus Preſbyter Societatis IESV: Nam ſi Theodorici I. filia fuit Theodichildis, hanc anno 523. natam eſſe oportet, nec enim altiùs eius ortus epocha referri poteſt, at ipſa ex Fortunati ſententia,

In Geſtis veterum Francorum.

In diſſertatione vernaculâ de coniugio Ansberti & Blitildis ad Sereniſſimũ Principem Condæum.

Ter quino luſtro vixit in orbe decus,

Id eſt 75. annis, ergo hanc anno 598. deceſſiſſe certiſſimum erit: Ea verò tempeſtate anno ſcilicet 595. fato functus erat Gregorius Turonenſis, cui carmina ſua inſcripſit Fortunatus, vt patet ex eius epiſtola; vnde ſequitur viuentis adhuc fœminæ epitaphium Fortunatum condidiſſe, quod abſonum eſt. Nec ſolius Theudichildis immemor fuit Gregorius Turonenſis, Bertam enim prætermiſit Edilberti Anglorum Regis vxorem, Regiâ Francorum familiâ prognatam, quæ tamen ipſi nota eſſe debuit, quippe quæ ſub Gregorio I. Romano Pontifice, quem Turonenſis inuiſitauit, vitam tranſegerit, vt teſtatur Beda dum Auguſtini ad-

Extat epiſt. Gregorij I. ad Pelagiũ Gregorij Turonenſ. ſucceſſorem cuius character incidit in ann. 596.

Hiſt. Eccl. l. 1. c. 25. edit. Colon. uentum in Angliam deſcribit; nec hæ ſilentio nuptiæ damnandæ, in quibus ad Chriſtianæ religionis gloriam ſingulare hoc pactum interceſſerat, vt Chriſtianæ mulieri ſecundùm legem ſuam viuere liceret, eáque ipſi de cauſa Letardus Epiſcopus comes fuerat aſſignatus. Non etiam meminit Emmæ Francorum Regis filiæ ex qua natus Ercombertus Edbaldi ſucceſſor, vt teſtatur Willelmus Malmeſburienſis qui primus poſt Bedam res Anglorum proſequutus eſt. (De geſt. Angl. l. 1.) Silentium ergo Gregorij Turonenſis, vel alterius ſcriptoris ex ſe non ſufficit, vt Aigulfi matrem, Clodouei filiam infitiemur.

In 1. parte c. 2. p. 50. & ſeqq. Arguit præterea Faber filiam Clodouei Ferreolo nupſiſſe, cùm non vero ſimile ſit Alaricum æquo tuliſſe animo, vt cum exteræ gentis virgine Ferreolus qui ſub eius ditione degebat, matrimonium iniret, eo potiſſimùm tempore, quo per Anianum Virum ſpectabilem codicis Theodoſiani breuiarium edi curauerat. Miror cur ad leges Gothicas, quas incubator Seronatus Præfectus Prætorio Galliarum in excidium Romanarum inducere tentauerat, non reſpexerit Faber. His enim inhibita ipſa inter Gothos, & Romanos coniugia, primúſque poſt Alaricum longo interuallo Recaredus occurrit, qui conſtitutione lata ſanciuit, *vt tam Gotho Romanam, quàm Romano Gotham matrimonio liceret ſociari, præmiſſa tamen petitione digniſſima:* Ex qua clauſula inferre lubet, extranearum mulierum cõ-

ſortia quoque non fuiſſe permiſſa, niſi Principis accedente conſenſu. Verùm quia intellexit vir eruditus Alaricum leges Romanas adprobaſſe, vt ex iis inter Romanos, ſeu veteres Gallos ius diceretur, idem legibus Romanis, nullam ex his laudans conſtitutum ſibi ſuaſit : Et quidem extat in codice Theodoſiano lex vnica *de nuptiis Gentilium*, qua Valentinianus, & Valens diſtrictè inhibent, vt *nulli Prouincialium, cuiuſcumque ordinis, aut loci fuerit, cum barbara ſit vxore coniugium.* Barbarorum appellatione Francos venire certiſſimum eſt, eóque magis hac lege deſignari videntur, quòd ſcripta ſit ad Theodoſium Magiſtrum equitum, qui Francos in Inſula Batauorum fudit, vnde apud Goltzium vetus legitur inſcriptio, quâ Valentinianus *Francicus* appellatur. Ab hac tamen ſanctione Francos eximi pluribus probatur : Longè enim ante Valentiniani, & Valentis tempora, Conſtantini Magni ſcilicet conſtitutione, de qua Conſtantinus Porphyrogennetus in libro de adminiſtrando Imperio, Romanis licita cum Francis fuêre connubia, *propter partium illarum, gentiúmque ſplendorem, ac nobilitatem.* Huic verò nouiſſima Valentiniani lege minimè fuiſſe derogatum, indicat Agathias, dum ait Francos politiâ vt plurimùm vti Romanâ, eandémque cum ipſis nuptiarum, & contractuum ſeruare rationem. Demus nihilominus Fabro, Ferreolum inſcio Alarico tanta fœdera contrahere non potuiſſe, ne in res nouas &

Lib 3. tit. 13.

Lib. 1.

Digitized by Google

libertatis ſtudium coire videretur, vndenam probat Alarici conſenſum non interueniſſe, cùm contraria potiùs ex rerum geſtarum ſerie ſententia colligatur? eo enim tempore quo nuptias Ferreoli cum Clodouei filia collocauit Dubouchetus, ante ſcilicet Gothicum bellum, Clodoueus, & Alaricus in Ligeris inſula tam arctum amicitiæ vinculum inter ſe contraxerant, vt Aimonius Alaricum ex more apud Gothos recepto, Clodoueum per barbæ contactum adoptaſſe tradat, qua ratione ciuili figmento Alarici neptis Clodouei filia facta eſt, eóque faciliùs his nuptiis auctoritatem accommodaſſe videtur, quo cum Ferreolo eius cliente coniungebatur.

Vid. antiq. lect. Caniſij to. 1. lib. 3. cap. 1.

Addit Faber Regio generi hoc matrimonio iniuriam inuri, cùm ea mente id à Clodoueo procuratum putet, vt Ferreolum ab Alarici partibus auocaret, minúſque decorum ſit ab eo naſci, qui à Principe deſciuerit, vt ſocero militaret: Non hoc Ferreolorum Gentis dignitatem minuit, ſed auget, cùm eorum fretus auxilio faciliorem de Gothis victoriam Clodoueus exiſtimarit; aut ſi crimen eſt ab Alarico defeciſſe, tunc omnes fere Galli eiuſdem criminis conſcij, cùm ex Gregorio Turonenſi conſtet, non alia de cauſa Clodoueum in Arrianum Principem arma mouiſſe, quàm quòd nonnulli ex Gallis eius imperij pertæſi Francorum dominationem expeterent. Verùm ſi defectio quam in Ferreolo Faber notat, eius quoque poſte-

Lib. 2. c. 36.

ris improperanda; cur non & Mummolus eiuſdem criminis reus, à quo ipſe Reges noſtros deducit, eorum natales labefactabit? Opponit illico Beatiſſimi Arnulfi merita ſcelus hoc abundè diluiſſe, quaſi eadem Arnulfi virtus in purgando Ferreolo eius proauo defeciſſet. Sic nugatur Faber vt aliis aduerſetur, ſic ſibi arridet, vt alios irridere poſſit, & in ipſos incauti conſilij culpam refundit, quam ipſe contraxit. Cap. 21. p. 243. & 248.

Ait præterea iniuriam augeri, dum hanc Clodouei filiam, Theodorici I. ſororem, & ab alia quàm Chrotilde Burgunda natam dixit Dubouchetus, quaſi non hac tempeſtate liberi ex concubinis, quæ vice-coniuges erant, aut ex ſuperinductis nati, in legitimam Regni ſortem cum cæteris fratribus vocarentur. At hoc vel ipſius Theodorici exemplo profligatur, qui præ reliquis fratribus nobiliorem Regni partem nactus eſt, Regúmque Metenſium auctor fuit: Nec vllus eſt in rebus Francicis vel tantillum verſatus, qui aliquam inter Regum primæ, ac ſecundæ familiæ maſculos liberos, ſeu ex legitimis nuptiis, vel illicitis coniunctionibus quæſiti fuerint, in ſucceſſionis ordine differentiam agnoſcat. Regio quippe omnes titulo inſigniti, nec niſi poſt Zuentiboldum Arnulfi Imperatoris non ex legitima vxore nati, ex concubina filium, deficiente Caroli Magni genere, & aſſurgente Capetio contrarius vſus inualuit. Parte 2. c. 2. p. 35.

Digitized by Google

CAPVT V.

De Filiis ex FERREOLO, *&* CLODOVEI *filia ſuſceptis.*

Part. 1. c. 6.

VT olim in bellis priuatis tota cognatio prouocabatur; ſic non ſatis fuit Fabro cum Ferreolo viro Senatorio experiri, niſi etiam omnes eius filij cierentur ad pugnam. Cruentum tamen non erit certamen, cùm vmbras potiùs, & laruas, quàm homines, fugandas putet; veluti proles adeo nobilis, & numeroſa, nulli nota ſit prætérquàm auctori genealogiæ ſancti Arnulfi ex codice S. Vincentij Metenſis depromptæ, cuius fidem quantum in ſe eſt, conatur deprimere.

Et quidem hanc quibuſdam næuis laborare certum eſt, ſed plura etiam in ea contineri, quæ aliorum auctoritate fulciantur: Conſtat enim ex Vita S. Clodulfi, cuius fragmentum ſuperiori capite retulimus, Anſberto quinque fratres aſſignari, Aigulfum ſcilicet, Deotarium, Firminum, Gamardum, & Raginfredum, cui accedit vetus auctor qui genealogiam S. Arnulfi ſub Pipino I. deſcripſit: cuius initium hoc eſt: ANSBERTVS *qui fuit ex genere Senatorum Vir nobilis, & multis diuitiis pollens, habuit fratres* DEOTARIVM, FIRMINVM, GAMARDVM,

AIGVLFVM EPISCOPVM, ET RAGINFREDVM. Idem teſtatur vetus alia genealogia à R. P. Thoma Aquinate laudata, nec non autor Vitæ eiuſdem B. Arnulfi, qui eadem ſerie totidem fratres Anſberto aſſignat. Extat & in codice perantiquo S. Victoris Pariſienſis genealogicum ſtemma Regum Francorum, eiuſdémque Præſulis ad familiæ ſecundæ extremos Principes vſque deductum, cuius hæc verba ſunt: *Iſti fratres fuerunt* DEOTARIVS, FIRMINVS, GAMARDVS, ANSBERTVS, AIGVLFVS, REGINFREDVS, ex quibus ſatis ſupérque probatur Codicem S. Vincentij Metenſis, non à vero receſſiſſe, cùm proceres iſtos, inter ſe fratres extitiſſe retulit.

Non errauit etiam Duboucherus, cùm illos Ferreolo patre, & filiâ Clodouei natos aſſeruit; Nam vt ſuprà dictum eſt, cùm conſtet ex Vita Beati Firmini Epiſcopi Vceciensis, eius patrem fuiſſe Ferreolum, pateat verò modò Anſbertum, Deotarium, Firminum, Aigulfum, Gamardum & Raginfredum fratres extitiſſe, eundem quoque patrem ac Firminum agnouiſſe dicendum eſt; Nec Ferreolum ex variis vxoribus hos ſuſcepiſſe ſuſpicari licet: Vetus quippe alia genealogia S. Arnulfi ex antiquo codice S. Symphoriani Metenſis deſcripta, apertè declarat memoratos viros inter ſe fratres fuiſſe *germanos*, quod in eo maximè prodeſt, vt eandem Clodouei filiam, quam Aigulfi matrem ex geſtis Metenſium Pontificum auctor Vitæ S.

Digitized by Google

Clodulfi, nec non Paulus Diaconus ex fama quæ tunc vigebat, retulere, eius quoque cæteris fratribus adſcribamus. Sic enim habet vetus ſcriptor, cuius integram de Arnulfi Maioribus narrationem infrà ſubiungemus: *Iſti ſunt ex genere Nobilium Senatorum: Nati ſiquidem germani*, ANSBERTVS, FIRMINVS, AGIVLFVS, RAGINFREDVS, GAMARDVS DEOTARIVS, *& ſorores eorum* GODA, *&* MARIA.

CAPVT VI.

De DEOTARIO, *&* AIGVLFO *fratribus, & de Ariſitenſis Epiſcopatus inſtitutione.*

SATIS eſſet ad eleuandam Fabri mentem duorum auctorum qui ſub Pipino Caroli Magni patre ſcripſere, vt ſuo loco demonſtrabimus, de Anſberti fratribus ſententiam protuliſſe: Sed quia viritim illos aggreditur, vt eos explodat, ſingula etiam quæ in hos comminiſcitur argumenta, vexabimus. Poſceret quidem genealogici ſtemmatis ordo, vt Anſbertum modò veluti generis auctorem vindicaremus; ſed quia eius etiam ſoboles impugnatur, priùs ipſius fratribus ſuccurremus, vt vna eadémque manu Anſbertum deinde, eiúſque liberos à Fabri manibus eripiamus. Præſtò igitur ſimus Deotario, & Aigulfo, quorum iure ſanguinis cauſa

Digitized by Google

cauſa communis eſt, & in Ariſitenſis Epiſcopatus inſtitutione permiſta.

Hanc Aigulfo primùm deberi ex actis fide digniſſimis doctiſſima diſſertatione aperuit nuper C. V. P. Thomas Aquinas Ordinis Carmelitarum excalceatorum, eiúſque ſententiam poſtmodùm ſequutus diligentiſſimus Dubouchetus, aſſerens Deotarium reſtaurato Ariſitenſi vico, ab Aigulfo fratre Epiſcopum ibi fuiſſe conſtitutum, ac demùm beatam eius memoriam in omnium veneratione verſari. At hoc conſtanter negat Faber, adeò vt ſi quis Deotarij patrocinium inuocet, non viro quidem ſancto, ſed vano rei quæ nuſquam fuerit ſimulacro preces fuſas exiſtimet.

De Epiſcopatu Ariſitenſi.

Parte 2. c. 6. pag. 117. & 253.

Verùm ſi aliquem extitiſſe negare non poſſumus, cùm illum ædificia excitaſſe demonſtramus, Deotarium facili negotio vindicabimus. Hunc enim Ariſidum vicum conſtruxiſſe teſtatur vetus genealogia ſub Pipino ſcripta, in qua ſic legitur: DEOTARIVS *conſtruxit vicum* ARISIDVM *vbi confeſſor Chriſti requieſcit*: Eiuſdem tenoris alia ex codice S. Symphoriani Metenſis deprompta ſub Lothario Ludouici Pij filio deſinens, cui ſuffragatur auctor Vitæ S. Arnulfi à Patre Thoma laudatus dum Anſberti fratres recenſet: *Primus*, inquit, *fratrum* DEOTARIVS, *qui ſuarum hæredem Chriſtum faciens opum*, ARISIDVM *conſtruxit locum.* Is autem in finibus Ruthenorum ſitus eſt, Prouinciæ Narbo-

Lib. 2.

nenſi conterminus, vnde idem auctor Vitæ ſancti Arnulfi de Vceccia ciuitate, cui Firminus præfuit, verba faciens, hanc primæ Narbonenſi aſſignat, *item prædicto Ariſido vicinam.*

Ariſitenſem verò vicum bellorum iniuria dirutum multa inſinuant, nam ab exceſſu Clodouci, quo Gothi nouam rerum bene gerendarum occaſionem nacti ſunt, *multa de his quæ ille acquiſiuerat,*
Lib. 3. c. 21. *peruaſerunt*, vt ait Gregorius Turonenſis, ac præcipuè Ruthenos, vt pluribus colligitur. Quintianum enim huiuſce plebis Epiſcopum, ideò ad Euphraſium Aruernorum Antiſtitem profugiſſe, quòd Theoderico Francorum Regi faueret, docent nos eius acta ex veteri codice Ruthenenſis Eccleſiæ deſcripta, quæ ſic habent: *Gothi qui eo tempore ciuitatem vſurpauerant*, Segodunum intellige, *Epiſcopum Quintianum calumniantur, quòd ipſam Regi Francorum Theodorico prodere voluiſſet, ſtatuúntque illum perfodere gladio; Sed vir Dei inſidiis cognitis, & Patrono ſuo Amantio ſe committens, ciuitatem noctu egreditur, & ad ſanctum Euphraſium Aruernorum Epiſcopum ſe recipit, à quo humaniter ſuſceptus, & in his quæ ad dignitatem tanti viri conferebant, prouiſus, biennium apud illum manſit, mutua charitate certantes, & piis operibus, ac diuinis colloquiis vacantes, quo tempore obiit Euphraſius, & ad cæleſtia regna migrauit.* Non me latet hanc narrationem cum Gregorij Turonenſis verbis non conuenire, dum ait Quintianum ideò ſibi fugâ conſuluiſſe, quòd Clodoueo Segoduni prodendi

Digitized by Google

conſilium iniiſſet. Sed quàm grauiter in annorum epocha Gregorius errauerit, ſtatim deprehenditur: nam ſi ex eius mente Quintianus à ſede ſua depulſus, hunc certè ante Alarici obitum, vel ſaltem ſubſequentis anni initio amandatum fuiſſe autumandum eſt, vt rectè clariſſimus vir Hadrianus Valeſius annotauit. Attamen id neutrâ tempeſtate contigit, cùm is vti Ruthenenſis Epiſcopus Agathenſi Concilio ante prœlium Vocladenſe coacto interfuerit, ac deinde Aurelianenſi I. quadriennio pòſt ſub Clodouco celebrato. Imò à ſe ipſo diſſentit ipſe Gregorius, dum alibi refert, ideò Quintianum Euphraſio ſucceſſorem à Theodorico datum, quòd ipſi fauiſſet: hæc enim ſunt eius verba: *Cùm autem hæc Theodorico nunciata fuiſſent, iuſſit inibi ſanctum Quintianum conſtitui, & omnem ei poteſtatem Eccleſiæ tradi, dicens: Hic ob noſtri amoris zelum ab vrbe ſua eiectus eſt.* Quæ cum actis à nobis iam laudatis apprimè conueniunt, in quibus ſic legitur: *Commemorans autem Theodoricus Rex ſanctitatem Quintiani, & quòd eiectus fuerat à Gothis, quia fauorabilior videbatur ipſi Regi, mandauit vt ipſe loco Euphraſii Epiſcopus Aruernorum decerneretur.* Quâ verò ratione Rutenorum ciuitas ad Theodoricum, qui ipſo patre viuente Rutenos deuicerat, iterùm peruenerit, docent nos eadem acta: *Pace autem illo tempore inter Theodoricum Regem Gallorum, & Amalricum Regem Gothorum firmata, Ruthenenſis ciuitas ex pactis in iuriſdictionem Gallorum deuenit.* De huiuſce

In Geſtis veter. Francorum.

Digitized by Google

pacis conditionibus altum apud auctores editos ſilentium, niſi ad ea tempora referendæ ſint, quibus poſt nuptias Amalrici cum Crotilde Theodorici ſorore, Galliarum partitionem inter Theodoricum, quem Theodebertum vocat Procopius, Gothos, & Athalarici nepotem idem Græcus auctor initam teſtatur. Sed vt ſe res habuerit, in ditionem Auſtraſiorum Regum Ruthenos rurſus deueniſſe, fidem facit Concilium Aruernenſe I. cui cum cæteris Epiſcopis Theodeberti dominio ſubiectis adfuit Dalmatius Quintiani ſucceſſor.

Lib. 1. de bello Gothico.

Sed non hac ſolùm vice poſt Clodouei mortem Rutheni à Gothis peruaſi, regnante Theoderico: Segodunum enim à Martia Oſtrogothorum Duce de quo Procopius, bis obſidione, ſed fruſtrà tentatum aſſerit vetus auctor, qui B. Amantij Ruthenenſis Epiſcopi vitam, verſibus rythmicis iam à ſexcentis annis ex veteri Latino auctore in ruſticam Romanam linguam tranſtuliſſe metrico ſermone teſtatur; ſic enim habet.

Lib. 1.

Al nom de Ieſus-Chriſt ayſi ſia affinat,
Lo librè que vous ay de Lati Romanſat,
Del Patro ſant Amans.

Id eſt, *In nomine Domini hic finiatur liber ſancti Amantii patroni noſtri, quem vobis è Latino in Romanum tranſtuli.* De geminis autem hiſce obſidionibus, ita loquitur, primámque poſt Euphraſij obitum ſic proſequitur;

Aprop aiſſo long'tems ſens en vol recordar,
Vn Prince qu'era Duc, que ſe faſia appelar
Marcia, ab gran gen ven per aſettiar
La vila de Rodés, & vol la ſubiugar,
Que de per totas parts la fec enuironar,
Et gardar que monda no lay pouges intrar,
Et deſtrieys tant lo pobol, que non ac que mangar,&c.
Tant lor entendement à Dieus van demonſtrar,
Ab grand deuotio ſe van appareilhar,
Quel ſepulchré viſito de ſanct Amans lo bar,
Et prego caromen qu'els veille deſliurar
Del Prince Marcia, & de tot ſon affar.
Quand airo long temps facha aqueſto oraſio,
Et airo Dieus pregat ab grand deuotio,
Et an pres ſanct Amans per garda, & per guido,
Viro fugi d'aqui los contraris que ſo.

Patria hæc verba commodum hunc ſenſum efficiunt: *Poſt hæc longo deinde tempore, ſi recordari licet, Dux nomine Martias cum multo exercitu Ruthenam tendit, & vt eam ſibi ſubiugaret, tam arcta obſidione cinxit, vt nullus ingredi poſſet, populúſque ita diſtringeretur, vt quo ſe ſuſtentaret, non haberet. Tunc omnes ad Deum mentem eleuant, ac ſepulchrum nobilis Amantii magna cum reuerentia adeunt, deprecantúrque vt eos à Principe Martia liberare dignetur: Fuſa verò per longa ſpatia deuota prece, & Amantio in auxilium & tuitionem inuocato, inde caſtra mouentes videre aduerſarios.* De alterâ eiuſdem ſancti Amantij patrocinio anno ſequenti ſoluta Ruthenorum obſidione idem

Digitized by Google

Poëta ſic verba facit:

Et deuenc ſe l'altr'an per maluais mouuement,
Qu'aqués Duc Martia fes altré aſietgament
Per tornar à Rhodés, & per far raubamen:
Que vol penré la Vila, & contrengé la Gen
Per ſo que miels n'agut tot ſon entendement,
Que no ac l'altra vés quand s'en fugi coren:
El pobol que à viſt s'eſt aſsietgamen
Grand paor en à aguda d'aquela mala gen,
A ſanct Amans s'en fuio, qu'es lor defenſamen:
Els ennemics fugiro coms l'altra vets coren:
Onc puieſſas no tornero per fa mal à la gen.

Hæc in Latinum verſa ſic ſonant: *Et ſequenti anno contigit, prauo motu Ducem illum Martiam aliam obſidionem paraſſe, vt rurſus Ruthenam deprædaretur; quare vt quantociùs ciuitate hac potiretur, caſtra vndique fixit, & immaniter ciues aggreſſus eſt, ſanioris ſe modò conſilii ratus, quàm alia vice, qua velociter aufugit. Populus ergo Ruthenenſis ſe ita oppugnatum videns ingenti metu concuſſus ad ſanctum Amantium eius patronum recurrit, & ſtatim inimici, vt aliàs terga vertere, nec in poſterum vt populo nocerent, reuerſi ſunt.* Crebras autem illas Rutenorum depopulationes circa vltimos Theodorici dies, id eſt paulò poſt necem filiorum Clodomeris Regis anno 524. patratam ſuſpicari licet, ex eo quòd Gregorius Turonenſis Theodebertum à Theoderico, Guntarium à Clotario ad recipiendas ditiones, quæ à Gothis defecerant cum copiis miſſos aſſerat, ac Guntarium

cùm Rutenos vſque perueniſſet, incerta de cauſa, forſan, quia iam Gothi ſoluta Ruthenorum obſidione in Prouinciam ſe receperant, receſſiſſe, vnde Theodebertus Guntario firmior in Prouinciam ſe cōtulerit, vt indicat inſcriptio capitis 21. lib. 3. apud Gregorium Turonenſem, & ab Arelatenſibus ſub Oſtrogothorum ditione conſtitutis obſides acceperit, indéque receſſerit audito de Theodorici parentis ſui ægritudine nuntio: Illámque ni fallor expeditionem Vitiges intelligit in oratione quam apud Procopium ad Gothorum primores habuit, vt illis ſuaderet Francis Gallias finitimas eſſe dedendas, vt cum ipſis aduerſus Romanos belli ſocietatem inirent, quod cùm omnibus placuiſſet, Vitiges Martiam Præfectum è Galliis euocauit. Non ergo mirum vaſtatis toties Ruthenis Ariſidum, vicum dirutum fuiſſe, ac bellorum ſorte haud dubiè ſolo æquatum, à Deotario (ad quem tractum illum iure hæreditario pertinuiſſe non leuis eſt coniectura) reſtauratum: Non enim procul ab eo Treuidon antiqua Ferreolorum ſedes, quæ etiamnum vt ſuprà monuimus ab incolis *Treues* dicta in ditione nobiliſſimæ Rocafolliorum (*Roquefeüil*) familiæ, iam à pluribus ſæculis in hunc vſque diem remanſit.

Quæ Deotarium Ariſidi vici reſtauratorem acta nos docent, eadem hunc ibi Pontificem ab Aigulfo fratre conſtitutum demonſtrant; Infractas quidem clamat Faber, patrum conſtitutiones; cùm

Parte 1. c. 6. pag. 87. & ſeqq.

Ariſitenſis vicus in Aquitania I. apud Rutenos ſitus ſit, ac proinde ſecundùm veteres Prouinciarum notitias Bituricenſi Metropolitæ attributus;. Metenſis verò Treuerenſi ſubiaceat, nec quidquam in alterius Diœceſi ſine iniuria ſibi valeat arrogare, maximéque in nouæ ſedis inſtauratione.

Can. 6.

Can. 65.

Non negarim certè Concilio Nicæno cautum eſſe, ne Epiſcopus ſine Metropolitæ conſenſu conſecretur, ac decretis Africanæ Eccleſiæ apud Gallos potiſſimùm receptis apertè definiri, nouos in ſedibus, quibus nulli anteà fuerant Epiſcopi, conſtituendos, niſi cum Concilio plenario vniuſcuiuſque Prouinciæ, & Primatis, atque conſenſu eius ad cuius Diœceſim eadem Eccleſia pertinet. Attamen non tam arcta fuit hæc prohibitio, quin poſtmodùm quandoque remiſſa fuerit; nam ex Gregorio Nazianzeno conſtat, hunc Eulalium Epiſcopũ ſine Metropolitæ cui ſuberat, conſenſu conſecraſſe. Innocentius etiam Pont. indicat Cyprios, *non tenuiſſe Nicænos Canones in ordinandis Epiſcopis, & vſque adeò habere præſumptum, vt ſuo arbitratu ordinent, neminem conſulentes.* In ipſa etiam Gallia Proculus Maſſilienſis conſecrabat Epiſcopos Narbonenſis ſecundæ, eáque de cauſa Concilio Taurinenſi ad vitam honos ipſi Primatis conceſſus: *Hæc ipſi tantùm*, inquit, *in vita eius forma ſeruabitur, vt in Eccleſiis Prouinciæ ſecundæ Narbonenſis, quas vel ſuas parrochias, vel ſuos diſcipulos fuiſſe ordinatos conſtiterit,*

In conſecrat. Epiſc. Doarenſ.

Epiſt. 18. c. 2.

Can. 1.

ſtiterit , Primatus habeat dignitatem.

Verùm ſi nonnumquam in ſimili caſu imminuta vetus Canonum diſciplina, tunc potiſſimùm id contigit, cùm Principes Prouinciarum ordinem, quem ſequebatur Eccleſia, immutare poſſe ſui iuris eſſe crediderunt, & in iis, quibus liberet locis, Metropoles aſſignare. Inde Concilio Chalcedonenſi cautum ne antiquæ diuiderentur Prouinciæ, ac Metropoles per pragmaticam, ſeu iuſſu Principis conſtituerentur. Eodem tamen Concilio huic conſtitutioni tacitè derogatum, dum Canone 17. ſanciuerunt Patres ibidem congregati, vt ſi quas Metropoles Princeps inſtituiſſet, Ciuiles & publicas formas, Eccleſiaſticarum quoque parochiarum ordo conſequeretur, qua ratione Principes priſtino ſe iuri reſtitutos putarunt: Ideóque Orientis Imperatores huiuſce Canonis confirmationem in Concilio VI. apud Trullum Conſtantinopoli celebrato, ardenter expoſtularunt; Vnde Zonaras ad canonem 38. dictæ Synodi excitandarum Metropoleon, & Epiſcopatuum auctoritatem Principibus vindicauit, eodémque ſenſu Theodorus Balſamo non in nouis tantùm, ſed in quibuſcumque ciuitatibus hoc ius ipſis competere abſciſsè pronuntiauit, adducta in id Alexij Comneni bulla aurea. Vacabant ſedes Eccleſiarum Maditanæ, & Baſilæi, quæ nouo principis reſcripto Metropoliticum decus fuerant conſecutæ: Vindicabant earum Ordinationes Heracleæ, & An-

Digitized by Google

cyræ Metropolitani, quibus anteà ſubiiciebantur: Alexius huiuſce controuerſiæ iudicium præſente Synodo ſuſcepit, & ex eius ſententia ſic Concilij Chalcedonenſis canonem 12. interpretatus eſt, vt Epiſcopo procurante Prouinciarum diuiſio, velut ambitioſa, illicita cenſeatur, contrà verò ſi Princeps vel vrbis dignitate, vel Eccleſiæ ſplendore, vel Epiſcopi merito ductus nulla intercedente gratiâ hoc beneficium indulgeat: Quamobrem inſtituendarum Metropoleon, & Epiſcopatuum ius penes Principes ex eiuſdem Concilij Chalcedonenſis canone 17. eſſe decreuit, deferendam tamen Patriarchæ cauſæ cognitionem antequam conſenſum reſcriptis hiſce gratioſis accommodet. Sic ante Alexium diuiſa à Valente Cappadocia, & ſecundæ, Metropolis facta Tyana in præiudicium Cæſareæ, quæ totius Prouinciæ caput erat. Tuebatur ſe Baſilius Cæſarienſis priſcis Eccleſiæ moribus, Antimius verò formis ciuilibus, vicit tamen Antimius iudicio Valentis, & Gregorius Nazianzenus velut in ſecunda Cappadocia conſtitutus Tyanenſem Epiſcopum Metropolitam agnouit; ſed & cùm tertiam mox Cappadociam his adiunxiſſet Iuſtinianus, & Muciſſum mutato eius nomine Metropolim eſſe iuſſiſſet, id ſtatim Eccleſia ſequuta eſt, vt probant Euphrantæ Tyanenſis, & Theodoſij Muciſſi Epiſcopi verba in V. Synodo collatione 5. relata. Sic eodem rerum nouarum animo idem Imperator de ſuo nomine propria aucto-

In Laudib. Baſilij & epiſt. 88.

Iuſtinianopolis dicta.

Digitized by Google

ritate Achridem natalibus eius claram Iuſtinianæam vocauit, ibíque conſtituit Epiſcopum, idémque præſtitit in gratiam natalis ſoli vxoris Theodoræ: Hoc ductus exemplo Childebertus eius coætaneus Epiſcopum Meloduni conſtituendum exiſtimauit, Sigebertus Caſtroduni, ac Guntramnus alium his terris præficiendum, quæ Longobardis ereptæ Taurinenſi priùs Eccleſiæ ſubiacebant: quòd ſi poſterioribus ſæculis an idem factitatum fuerit, ſit inquirendum, præſto ſe offert Nomenoius Dux Brittonum, qui ex quatuor Epiſcopatibus ſeptem confecit, vnde diutinæ inter Turonenſem, & Dolenſem Epiſcopum litis incentiua.

Nicephor. Gregor.

Tom. 1. Concil. Gall.

Cùm igitur Principes ciuitatum excitandarum priuilegia ſibi arrogarent, non in ſola Ariſitenſis vici proprietate Metenſi Eccleſiæ adſcribenda, Regum auctoritas vt putauit Faber, explicatur; nec mirum videri debet Aigulfum, Deotarium fratrem Ariſitenſem Epiſcopum inſtituiſſe, cùm non niſi aſſentiente Principe id præſtiterit, vt ex verbis auctoris qui ſub Pipino B. Arnulfi genealogiam conſcripſit, liquidò colligitur. Sic enim habet: *Tempore bonæ memoriæ Domni* AIGVLFI *Epiſcopi ſic Domnus* THEODEBERTVS, lege Sigebertus, *Rex Francorum vicum Ariſidium per ſuum præceptum partibus B. Stephani Protomartyris Metenſis Eccleſiæ delegauit, & Domnus* ARNOALDVS *nepos ipſius, poſteà & iſdem Pontifex accepit exinde confirmationem tempore*

Pag. 90.

Sic in Vita S. Salabergæ irrepſit nomen Theoderici loco Childerici.

Domni LOTHARII *Regis ad partes nihilominus B. Stephani. Similiter Domnus* DAGOBERTVS *Rex Francorum, & SIGIBERTVS eundem vicum Beato Stephano ſua præceptione confirmauerunt. Prædictus verò præſul* AIGVLFVS *priùs Germanum ſuum* DEOTARIVM *in eodem vico Ariſidio Epiſcopum conſtituit, & poſt Domnum Deotarium, nepos ipſius domnus* MODERICVS *eſt ordinatus Epiſcopus per ordinationem Metenſis Epiſcopi.* Hæc verba eodem ferè tenore habentur in alia eiuſdem præſulis genealogia ex codice ſancti Symphoriani Metenſis deſumpta, in qua non vt in ea quæ ex codice ſancti Vincentij Metenſis prodiit, legitur Aigulfum fratrem ſuum Deotarium Ariſitenſem Epiſcopum conſtituiſſe, *eo pacto vt deinceps Metenſis præſul illic Epiſcopos per ſucceſſionem ſtatueret, & conſecraret.* Sed tantummodò Deotarium & Mundericum ordinatos fuiſſe *per ordinationem Metenſis Epiſcopi,* quod vſque adeò nouum videri non debet, vt nullum ſimile penes auctores
Lib. 4. c. 7. occurrat exemplum; nam Gregorius Turonenſis Mediomatricum Præſulis prærogatiuam ſatis inſinuat, cùm ait poſt tranſitum ſancti Galli Aruernenſis Epiſcopi, Cautinum omiſſis Epiſcopis prouinciæ à quibus Cato recuſauerat conſecrari, ſub Theodebaldo Rege Aruernenſem Epiſcopum Metis fuiſſe ordinatum. Erat hæc quippe ciuitas, Regum Auſtraſiorum ſedes, vnde eius Epiſcopo aſſiduo principis comitatu conſpicuo, ſingularia iura tribuebantur; ex ſimili enim ferè ciuitatis

ſplendore Arelatenſis prodiit primatus. Et quamuis hoc caſu nulla primariæ ciuitatis ratio haberetur, idque Metropolita non aſſentiente, (cuius tamen licentia præſumenda eſt) factitatum liceat exiſtimare? nonne B. Auguſtinus in caſtro Fuſala ad plebis commodum Antonium quemdam Epiſcopum præfecit, quem deinde ob prauos mores ab eodem deiecit Epiſcopatu: Suberat tamen Auguſtinus Primati Numidiæ, vt ex eiuſdem Antonij, vt priſtinæ adminiſtrationi reſtitueretur, ad hunc Primatem interpoſita conſtat appellatione.

Can. Lugdunenſis 9. quæſt. 3.

Epiſt. ad Cæleſtinum papam.

Cæterùm vt Principes ad libitum ciuitates, & in iis Epiſcopos ſtatuere præſumpſerunt, ita & eorum ordinationem, quibus vellent Epiſcopis demandare? Numquid Iuſtina Auguſta Anemium Sirmienſem ab Arrianis Illyrici Epiſcopis, non ab Ambroſio Mediolanenſi Italiæ & Illyrici hac tempeſtate Metropolitæ conſecrandum eſſe contendit, vt in Ambroſij vita teſtatur Paulinus? Nonne Clotarius Emerium Santonenſem abſque Metropolitani conſilio benedici iuſſit, ac deinde Charibertus Heraclium in eius locum à comprouincialibus in Synodo Santonenſi ſuffectum, malè excepit, mulctâque Epiſcopis Synodi auctoribus impoſitâ, Emerium reſtitui præcepit. Sic dum Sigebertus Epiſcopum Caſtroduni apud Carnutes conſtituit, non hunc Senonenſis Metropolita conſecrauit, ſed Remenſis, vt declarat epiſtola Concilij IV. Pariſienſis anno 573. celebrati, ad Æ-

Greg. Tur. lib. 4. c. 26.

Digitized by Google

Epiſcopatum Metenſem aſſumptum fuiſſe. Nam ex eiuſdem Catalogi auctore Arnulfus defunctus eſt anno 641. feditque annis quindecim, ideóque ſi bienniũ adiungas, quod in ſolitudine trãſegit, ſedis eius initium ad annum 624. incidit. Papolus verò eius deceſſor per viginti quatuor annos Metenſem Eccleſiam adminiſtrauit, vnde ſedes eius ab anno 600. repetenda: Papolo præiuit Arnoaldus per octo annos, & ſic primus eius incepit anno 593. Arnoaldus autem Aigulfo ſucceſſit, ergo hoc ipſo anno ſcilicet 593. vel ſuperiori Aigulfus vita functus eſt, cuius ſedem auctor Catalogi quem ſequutus eſt Dubouchetus, per duodecim annos protraxit, ex quo ſequitur, non hunc anno 586. vt is auctor voluit, ſed ex adſcriptis ab eodem vnicuique Epiſcopo numeris, circa annum 581. Petro ſucceſſiſſe; cui proximè accedit R. P. Meuriſſius Madaurenſis Epiſcopus, qui eius mortem anno 593. adſcribit, à qua notatione non diſſentit Faber, vnde ſedes eius ab anno 582. eſſet repetenda, indéque quàm dubius ſit Epiſcoporum Metenſium Catalogus, vel ex ipſius calculo ſatis colligitur.

Sed nec ea ratione in pontificatus Aigulfi primordiis ſtatuendis, certa epocha definiri poteſt, nam in antiquo eorumdem Pontificum indice, poſt Paulum Warnefridum à Pithœo edito, deſideratur Papolus, quem per viginti quatuor annos Metenſem Eccleſiam adminiſtraſſe conſtanter refert, tum catalogus à Dubouchero laudatus, tum Claudius

Corp. hiſt. Franc. Pag. 177.

Claudius Robertus in Epiſcopis Metenſibus. Hunc etiam admittit Pater Meuriſſius Madaurenſis Epiſcopus, ſed ex eius pontificatu viginti annos adimit, & quatuor tantùm ipſi aſſignat. Auctor præterea indicis Warnefrido adiuncti Arnoaldum viginti ſepté annis ſediſſe contendit, quem alij per octo tantùm Pontificem ſtatuunt, ſolo demto Meuriſſio, qui veteris auctoris calculum ſequitur, laudátque cartam fundationis Monaſterij Montis Romarici ſiue veram, ſiue falſam, in qua teſtis adfuit Arnoaldus Metenſis Epiſcopus anno 620. quo alij Papolum vixiſſe volunt. At ſi huius ſedis ita protractæ ratio habeatur, Aigulfum ſub Sigeberto vixiſſe, longè ante Munderici conſecrationem, liquidò demonſtratur. Arnulfus enim ex communi ſententia anno 624. ad Pontificatum aſſumptus creditur, & 641. vita functus: At ſi Papolo eius deceſſori viginti quatuor annos aſſignemus, incipiet eius ſedes, vt ſuprà diximus ann. 600. ſi Arnoaldo viginti ſeptem ex antiquo indice, & patre Meuriſſio, repetendus eius Pontificatus ab anno 573. ſi Aigulfo eius deceſſori duodecim, ſedebit ipſe ab an. 561. Quare cũ Mundericus apud Ariſitenſem vicum Epiſcopus conſtitutus fuerit, duobus annis ante Sigeberti necem anno 576. ſecundùm Marij Auenticenſis Chronicon perpetratam, nihil obſtat quin Aigulfus Mundericum, ac deceſſorem eius Deotarium conſecrarit.

Verùm huius conſecrationis certior emergit

Digitized by Google

epocha ex veteri codice S. Symphoriani Metenſis, in quo poſt catalogum Pauli Diaconi ſcriptus eſt ille, qui à Pithœo editus eſt, multò tamen amplior, ac correctior; ſic enim habet:

XXV. PETRVS *Epiſcopus ſedit annos* X. *obiit Kalend. Octob.*

XXVI. AIGVLFVS *Epiſcopus ſedit annos* XX. *obiit Kal. Decemb.*

XXVII. ARNOALDVS *Epiſcopus ſedit annos* VIII. *& menſ.* I. *obiit.*

XXVIII. PAPOLVS *Epiſcopus ſedit annos* XXVII. *& dies* XXX. *obiit* XI. *Kal. Decemb.*

XXIX. ARNVLFVS *Epiſcopus ſedit annos* XV. *& dies* X. *obiit* XVII. *Kal. Septemb.*

Turbatos eſſe in Arnoaldo, & Papolo numeros certiſſimum eſt, nam quos Pithœanus codex Arnoaldo attribuit, iſte Papolo aſſignat, eumdémque obitus characterem: at Arnoaldo ſoli conuenire indicant ſatis genealogiæ ſuprà laudatæ, ex quibus conſtat Arnoaldum Aigulfi ſucceſſorem, à Clotario Ariſitenſis vici in gratiam Metenſis Eccleſiæ à patruo celebratam donationem, ratam haberi poſtulaſſe: Clotarius verò Pariſiorum Rex 30. Regni ſui anno, qui cum 613. Chriſti concurrit, Burgundiæ, ac Auſtraſiæ Regna ſuſcepit, ac per conſequens his diebus Arnoaldum vixiſſe nimis conſtat, cui ſi octo tantùm aſſignaueris, iam ab anno 599. vita functus erit, vt mox demonſtrabitur.

Subducamus modò numeros, & Papolo octennium aſſignemus, quod ſancti Symphoriani codex aſſignat Arnoaldo. Arnulfus obiit anno 641. & ſedit quindecim, ac per biennium manſit in ſolitudine, eius ergo ſedes ab anno 624. repetenda. Papolus Metenſem tenuit Cathedram per octo, annus igitur 617. primus fuit eius Pontificatus. Arnoaldus præfuit per viginti ſeptem, anno igitur 590. fuit inauguratus, à quo ſi Aigulfi ſedem replicaueris, & ex hoc indice viginti annos ipſi attribueris, ſequitur hunc anno 571. ad Pontificatum fuiſſe promotum, qua tempeſtate regnabat in Auſtraſia Sigebertus, eáque ratione nihil vetat Deotarium ab Aigulfo fuiſſe conſecratum, eóque decedente Mundericum ipſi ſuffectum anno circiter 574. Certum quippe eſt Tetricum, cui Mundericus in Lingonenſi cathedra ſucceſſor fuerat deſignatus, his diebus deceſſiſſe, eique ad Ariſitenſem vicum abeunte Munderico, Papolum ſucceſſiſſe, qui per octo annos Lingonenſi præfuit Eccleſiæ, & poſt eum Mummolus, cuius extat ſubſcriptio in Matiſconenſi Concilio I. anno 581. octennio pòſt celebrato, vnde non anceps Tetrici exceſſus epocha colligitur.

Obſtare quidem videtur huic enumerationi epiſtola Gregorij I. ſuprà laudata, quam ad Aigulfum Metenſem ſcriptam aliqui volunt, cuius character in annum 601. incidit; vnde ſequitur malè Aigulfi obitum ſub annum circiter 590. annotari:

H ij

Sed præterquamquòd vbique corrupta legitur huius epiſtolæ inſcriptio, omnéſque editiones habent *Aglio Meris*, non *Aigulfo Metis*, plura ſunt argumenta quibus falſitatis inſimuletur: Si quæ enim fides C. Roberto, ac veteribus Epiſcoporum indicibus habenda ſit, Lupus Cabilonenſis qui cum Agilio in eadem epigraphe recenſetur, non niſi poſt Veranium, Gelionium, & Gratum huic Eccleſiæ præfuit, Gratus verò anno 650. Concilio I. Cabilonenſi ſubſcripſit, vnde ſequitur anno 601. quo hæc Gregorij epiſtola ſcripta dicitur, Lupum Cabilonenſem Epiſcopum non fuiſſe. Meminit eadem inſcriptio Melantij Rotomagenſis, cui tamen ante epocham hâc epiſtolâ deſignatam anno ſcilicet 594. Hidulfus fuerat ſubrogatus. In ea etiam memoratur Licinius, qui Andiis, non Turonibus præfuit, cuiúſque adhuc veteris tumuli fragmentum apud ipſos ſub hoc lemmate ſeruatur:

Vas habet hoc fracti ſenio fragmenta ſepulchri
LICINII SANCTI, *quo Gleba Beata quieſcit.*

At ex fidiſſimis eius Eccleſiæ tabulis, quarum mihi copiam fecere Clariſſimi Fratres Sammarthani, is anno 594. Kal. Nouemb. vita functus eſt, ac per conſequens viuere non potuit anno 601. qui ſeptennio antè deceſſerat. Quia verò turbatam in his catalogis Præſulum ſeriem poſſet quis exiſtimare, aduertat hoc Gregorij I. charactere, omnes Antiſtitum Metenſium ab Aigulfo, ad Arnulfum an-

Digitized by Google

notatos annos penitùs luxari; nam cùm certum ſit Arnulfum anno 624. ad Epiſcopatum aſſumptum fuiſſe, nullius indicis ſententia cum huius epiſtolæ notatione concurret. Siue enim cum catalogo à Duboucheto laudato, aut cum Cl. Roberto, Papolo Arnulfi deceſſori 24. annos attribueris, & octo Arnoaldo, incidet Aigulfi obitus in annum 592. ſiue cum indice Pithœano Arnoaldum per 27. annos Epiſcopum ſtatueris, ac cum eo Papolum prætermiſeris, vitâ functus erit Aigulfus anno 596. Quòd ſi ex codice S. Symphoriani Metenſ. Papolo 27. & 8. Arnoaldo annos aſſignaueris, obiit Aigulfus vt prænotauimus, anno 590. aut ſi cum R. P. Meuriſſio Arnoaldum per 27. annos Epiſcopum velis, Papolum verò non niſi per quadriennium, exceſſit idem Aigulfus anno 593. Quare cùm character in epiſtola Gregorij I. deſignatus, nulla ratione cum huius Præſulis annis poſſit conuenire, facilè crederem deprauatam ex parte huius epiſtolæ inſcriptionem, adiectáque incautè præter Mennam Toloſanum, & Serenum Maſſilienſem aliorum Epiſcoporum nomina. Et quidem dubiam admodùm hanc epigraphem inſinuant veteres codices; nam in perantiquo regeſto Gregorij I. ex Bibliotheca PP. Auguſtinianorum Maioris Conuentus Pariſienſis, ita concepta eſt: *Mennæ Toloſano, & pluribus aliis Epiſcopis Galliæ, indict.* IV. eámque ferè ſecutæ ſunt editiones Deſiderij Eraſmi, tum Pariſienſes anni 1518. & 1523. &

Niuelliana anni 1591. in hunc modum: *Mennæ Toloſano & quamplurimis Epiſcopis per Galliam, de Auguſtino Epiſcopo Anglorum, & conuerſione gentis ipſius:* Ex qua cæterorum Antiſtitum prætermiſſione colligitur, vel in huius epiſtolæ inſcriptione ſolius Mennæ in veteribus codicibus nomen exprimi, vel ſi in aliquibus reliquorum nomina occurrerint, ita eruditis Antiquariis fuiſſe ſuſpecta, vt ea penitus exploſerint; ſed ne Gregorij mentem traducere viderentur, generalem clauſulam vſurparint.

CAPVT VI.

De FIRMINO *Epiſcopo Vcecienſi,* ANSBERTI *fratre.*

DEOTARII & Aigulfi ſortem experitur etiam Firminus Vceclenſis Epiſcopus, negátque Faber vllum eius eſſe cum Anſberto conſanguinitatis vinculum, ſolúmque ſupereſſe auctorem codicis S. Vincentij Metenſis, qui hunc Anſberti fratrem indicauerit. Attamen qui Deotario præſtò adſtitere ſuprà laudati auctores, iidem quoque Firmino ſuccurrent: apertè quippe declarant hunc Anſberti fratrem fuiſſe, & Epiſcopatu Vceclenſi inſignitum.

In contrarium nihilominùs nititur Faber, aſſerit-

que Firminum non Ferreoli filium, ſed eius Firmini, quem Gregorius Turonenſis Aruernorum Comitem nuncupauit. Quo verò mentem ſuam fulciat argumento, ſola occurrit eius diuinatio nominum ſimilitudine firmata. Diiudicet quæſo lector æquiſſimus, cuius in genealogia conſcribenda potior auctoritas; an Fabri qui nihil profert præter coniecturas; an Dubroucheti, qui Firminum Ferreoli filium ex ipſius Firmini actis liquidò demonſtrat. Hæc quidem impugnat vir eruditus ex eo quòd nullus ex antiquis Firminum Ferreoli filium dixerit, & tamen poſtquam plura eiuſdem ratiocinationis emiſit, vt eundem Firminum ex Vcecienſi cathedra deturbaret, eadem non recuſat acta, vt inde probari poſſit iam à longis temporibus Epiſcopum huiuſce nominis, inter Vcecienſes fuiſſe repoſitum. Quænam fluxa iſta variatio, quaſi non eadem ſit huius auctoris fides, dum Firminum Ferreolo natum, ac cùm Epiſcopatu Vcecienſi functum aſſerit: vtroque enim caſu abſciſsè pronuntiat, adeò vt Firminum Epiſcopum Vcecienſem admittere nemini liceat, quin etiam hunc Ferreoli filium, & Anſberti fratrem agnoſcat.

Pag. 118. & ſeqq. Lib. 4. c. 13.

At hunc Epiſcopum Vcecienſem fuiſſe ex antiquis monumentis, quorum corruptas lectiones laudauit Faber, vt eius ſedem obſcuraret, apertè vindicabimus. Ait enim in collectione Conciliorũ à Binio edita, Firminum inter Epiſcopos qui Con-

cilio Aurelianenſi IV. ſubſcripſere non deprehendi, extare quidem eius nomen in ſubſcriptionibus Concilij Aurelianenſis V. ſed ibi mendoſè Epiſcopum *Vticenſem* dici, pro *Vincienſi*, Binium exiſtimaſſe; eámq; ſententiam firmari, ex eo quòd in Martyrologio Romano, in quo v. idus Octob. *Vzetiæ in Africa* Firmini feſtum reponitur, Baronius in margine, *Vencia in Gallia Narbonenſi* legendum eſſe indicarit; Robertum præterea in Gallia Chriſtiana *Frontinum* inter Epiſcopos Vcecienſes, non Firminum agnouiſſe. Sed quàm falſa ſit Binij coniectura ex editione Conciliorum à doctiſſimo Sirmundo procurata liquidò patet: Conſtanter enim in Conciliis Aurelianenſi IV. & V. adfuit FIRMINVS *Epiſcopus Ciuitatis Vceticæ*, aut *Eccleſiæ Vceticenſium*, & cum eo DEVTERIVS *Epiſcopus Eccleſiæ Vincienſis*. Cuius nomen in editione Binij deſideratur, ex codicibus Corbeienſi, Lugdunenſi, & Pithœano nunc primùm reſtitutum. Vnde non potuit Firminus Eccleſiæ Vincienſi præeſſe, cùm eadem tempeſtate, quâ ipſe præerat Vceticæ, Deuterius Vincienſem adminiſtraret. Nec Binium mouere debuit, quòd ſit eiuſdem nominis Ciuitas in Africa; rectè enim Vcecienſis Epiſcopus, *Vticenſis* etiam quandoque dicitur, vt conſtat ex Concilio Toletano XIII. cui cum quibuſdam Epiſcopis Narbonenſis primæ ſubſcripſit, *Leopardus Abbas vices agens Potentini Epiſcopi Vticenſis*. Eodem quoque veterum manuſcriptorum librorum beneficio,

neficio purgatur error Martyrologij Romani; in vetuſtiſſimo quippe Vſuardi codice Caroli Magni tempeſtate deſcripto, qui in Bibliotheca ſancti Germani à pratis Pariſiis aſſeruatur, v. idus Octobris legitur, *Ciuitate, Vzetia Firmini Epiſcopi & Confeſſoris*, ſicut & in alio Martyrologio ſancti Sauini in Leuitania à V. C. Sauſſayo edito: abeſt enim vox *in Africa*, quam Baronij prima retinet editio, ideóque in nouiſſima Vrbani VIII. Pontificis auctoritate publicata, ſublata fuit, additáque hæc verba *Vzetiæ in Gallia Narbonenſi.* Firminus igitur Vcecienſi Eccleſiæ præfuit, non Vincienſi, & in *Frontini*, quem laudat Robertus locum, ſubſtituendus, vt ipſemet Robertus in additionibus ſubodoratus eſt, vbi ſic habet: *Itaque forte is eſt qui dicitur Firminus in Martyrologio Vſuardi* 11. *Octobris*, ex quibus patet virum eruditum Romani Martyrologij lectionem expunxiſſe, quam certè delendam etiam cenſebunt omnes, qui aduertent Vceciæ in Gallia Narbonenſi, eodem die S. Firmini feſtum celebrari, ſicut & 2. Maij, eo quòd ſimili die corpus eius è ſepulchro fuerit eleuatum, & adhuc non longè Vcetia locum extare, ex illius nomine *Firminiacum* nuncupatum. Ibi verò memoriam eius miraculis claram docet nos Amulonis Epiſcopi Lugdunenſis, qui circa annum 843. Agobardo ſucceſſit, ad Theoboldum Epiſcopum Lingonenſem epiſtola, his verbis: *Scimus etiam ciuitatem quamdam haud longè à noſtris finibus, quæ Vcecia nuncupatur, ſita*

Pag. 107. col. 1.

Digitized by Google

in Prouincia Narbonenſi, vbi eiuſdem piæ memoriæ prædeceſſoris noſtri tempore ad ſepulchrum ſancti Firmini Epiſcopi, iſtiuſmodi percuſſiones, & eliſiones fierent. Et hunc Firminum, non Metenſem vt putauit Robertus, celebrauit Arator præfatione in acta Apoſtolorum, his verſibus:

Sunt quia Pontifices in religione magiſtri
Gallia quos multos dat ſtudioſa bonos:
Eſt vbi FIRMINVS *Venerabilis ille ſacerdos,*
Paſcere qui populum dogmatis ore poteſt.
Huius ad Italiæ tendit laudatio fines,
Atque vltra patriam Gloria nomen habet.

Vt Epiſcopus Vcecienſis Firminus fuit, ita & Anſberti frater, & Ferreoli filius: Huius genitores ſatis indicat ipſius Vita, agnationem verò, acta ſancti Clodulfi, & auctores genealogici ſuprà citati, qui apertè nos docent hunc ad Epiſcopatum Vcecienſem fuiſſe aſſumptum. Carpit quidem variis modis Faber eius vitæ acta, tum præcipuè ex eo, quòd Firminum à Roricio anno ætatis 21. Epiſcopum conſecratum referant; ſed non id officit quin Ferreolo patre natus ſit, eiúſque admittatur auctoritas, donec contrario facto, alio ſcilicet parente ex veterum fide ipſi aſſignato, impugnetur. Nec tam inſolens videri debet Firmini inauguratio, vt quæ de eius genitoribus referuntur, ideò ſuſpecta ſint, cùm plura extent huiuſmodi facti exempla. Non me quidem latet, Concilium Neocæſarienſe ante Nicænum coactum ſtrictè inhibuiſſe, ne ante

tricеſimum annum preſbyter inſtitueretur, idémque tempus in Epiſcopi conſecratione fuiſſe definitum Concilio Agathenſi anno 506. celebrato: Ante tamen Concilium Arelatenſe IV. id eſt annum 524. nondum omninò receptam in Galliis hanc conſtitutionem fidem facit Canon 1. huiuſce Synodi, eíque caſu exigente in Eccleſia Chriſtiana pluries derogatum docent nos variæ apud auctores præproperæ conſecrationes. Numquid Eleutherius apud Illyricos anno ætatis vigeſimo Epiſcopus conſtitutus, Remigius Remis vigeſimo ſecundo, eodémque Lambertus Leodienſis: Lauto ſeu Laudus Conſtantiæ, tantùm duodennis; Germanus Pariſienſis preſbyter ordinatus annò ætatis decimo ſeptimo? Ipſis etiam poſterioribus ſæculis quibus Eccleſiaſtica diſciplina magis ſtabilita cenſebatur, nonne Bruno Lingonenſis Epiſcopus conſecratus præter legitimam ætatem, ſicut & Ludouicus Tholoſanus, Petrus Luxemburgenſis, multíque alij quos longum eſſet referre? Imò & in ipſa Petri Cathedra, quæ apicem honoris obtinet, ſedit Benedictus IX. Benedicti VIII. ac Ioannis XIX. nepos non niſi adhuc decennis, ſi fides Glabro Rodulfo. Sufficit his caſibus Canones benignè interpretari, tum maximè, cùm virtus ætati præcurrit, vnde rectè B. Bernardus ait: *Multos iuniorum videmus ſupra ſenes intelligere, moribus antiquare dies, præuenire tempora meritis, & quod ætati deeſt, compenſare virtutibus.* At certè ſuſpicari non debet

Nicephor. l. 3. c. 29.

Lib. 4. c. 5.

Epiſt. 42.

Digitized by Google

Faber hæc omnia in Firmino non concurriſſe, cùm hunc inter ſanctos vindicatos ex indubitatis Eccleſiarum monumentis, fuſè ſuprà demonſtrauerimus.

Pag 66. Sed inſtat iterùm legibus Eccleſiaſticis præſcriptam Prouinciarum rationem ab auctore Vitæ S. Firmini violari, dum ait Roricium iam octogenarium, poſuiſſe *ſub ditione ſua Beatum Firminum ſuper omnes ciuitates Prouinciæ*: quamuis ſub ſe nullam Roricius ciuitatem haberet præter Vceciam. Nouum igitur erudito viro Vceciam Metropolis honore decorari, ſed ei certè magis nouum videbitur, extare monumenta, quibus eodem titulo ciuitas hæc ſit inſignita. At commodùm offert ſe vetus Notitia à nuſquam ſatis laudato Ducheſnio edita, in qua ſic legitur: *Caſtrum Vzetenſe, id eſt Aſtituenſium Ciuitas Metropolis*: nec in dubium reuocari poteſt, eam non eſſe Vceciam de qua nunc agimus, cùm inter Narbonenſis Prouinciæ ciuitates recenſeatur, poſt Loteuam, eadémque tantillum vitio ſcripturæ deprauatâ indigitetur appellatione, qua in Vita S. Arnulfi à R. P. Thoma Aquinate laudata, & auctore codicis S. Vincentij Metenſis, in quibus ſic ſcriptum: *Firminus Epiſcopatum tenuit in Vzetia vrbe, quæ Aſtimacenſis etiam vocatur*, ac deinde: *Ferreolus Vceciæ, id eſt Aſtimacenſi præfuit vrbi.* Quâ verò ratione huic Ciuitati Metropolis nomen inditum, incerta cauſa, niſi forſan huius auctor Notitiæ ad epiſtolam Hilarij Papæ ad

Tom. 1. pag. 12.

Epiſcopos diuerſarum Prouinciarum Galliæ reſpexerit, qua Conſtantio Vcecienſi Epiſcopo in Narbonenſi Prouincia Epiſcoporum ordinationes attribuit, *Ei*, inquit, *qui nunc Eccleſiæ Narbonenſi præſidere permittitur*, Hermeti ſcilicet, *ordinandorum Epiſcoporum ob hæc quæ praue facta ſunt, ſuſtulimus poteſtatem, quam ita ad fratrem noſtrum, & Coepiſcopum noſtrum Conſtantium Vcetica Eccleſiæ Antiſtitem, quia æuo honoris primas eſſe dicitur, pertinere cenſuimus.* Sed ex eadem epiſtola docemur priuilegium perſonæ, non ſedi fuiſſe irrogatum; ſic enim mentem ſuam aperit Pontifex: *Herme autem Epiſcopo deficiente faciendorum mos Antiſtitum, Narbonenſi mox reddatur Eccleſiæ, quem non ciuitas, ſed cauſa præſumptionis amiſit.* Inde tamen fieri poſſet, vt cùm primatus honos Conſtantio fuerit delatus, eius ſucceſſores eadem prærogatiua gaudere tentauerint, non ſecus ac Præſules Toletani, qui in Narbonenſi prima crucis antelationem ſibi deberi contendunt, eo quod ſub Regibus Gothis hæc prouincia Toletanam ſedem, vti ſuperiorem agnouerit, ſimilique ratione Dolenſis Epiſcopus præuia cruce incedebat, quia Nomenoius depulſa ſede Turonenſi Metropolicum ius ei conceſſerat. Vtvt ſe res habuerit, conſtat ab auctore antiquo Vcetiam Metropolim nuncupari, adeò vt noua non ſit hæc appellatio penes auctorem Vitæ ſancti Firmini.

Ridet in eo præterea Faber, quòd Firminum,

Pag. 58. & Ferreolum tenerâ adhuc ætate ad Roricium Vcecienſem dixerit ſe contuliſſe, cùm non veroſimile ſit, adoleſcentes regiâ ſtirpe prognatos liberam habuiſſe diſcedendi facultatem; quaſi Sanctus Ioannes Calybites, & Alexius, qui ſimilis fugæ conſilium inierunt, minoris longè originis fuerint, vel Maximus Gundeberti potentiſſimi filius non etiam præter parentum cuſtodiam ſeptennis euaſerit, aut in pueris magis hoc factum redarguendum, quàm in Eugenia nobiliſſima virgine filia Philippi præfecti Alexandriæ, quæ inſciis etiam parentibus adhuc tenella ſæculi curis ſe ſubtraxit, vt Deo ſeruiret.

Apud Bolandum 2. Ianuar.

Pag. 68. Arguit etiam vir eruditus, quòd is auctor Ferreolum Firmini nepotem à patruo ſibi ſuffectum retulerit, eiúſque ordinationem Epiſcopis Arelatenſi, Arauſicano, & Auenionenſi demandaſſe, cùm tamen Vcecia Narbonenſi pareat Metropolitæ: Sed hæc dum de Ferreolo verba faciemus, infrà ventilabimus. Si quid rectè animaduertit hiſtoricæ veritati contrarium, id in eo potiſſimùm verſatur, quod auctor codicis genealogici S. Vincentij Metenſis, Firminum martyrio coronatum aſſerat, quamuis conſonâ eius actorum relatione, Hagiologiorum, & antiqui cuiuſdam hymni rythmici vitam eius proſequentis fide, inter Confeſſores recenſeatur. Non obloquor in re perſpicaciſſima, errauit in eo laudatus auctor, deceptus forſan nominis ſimilitudine; cùm alius ſit Fir-

Pag. 96.

Digitized by Google

mimus Ambianenſis Epiſcopus inter Vaſcones Pampelonæ natus, paſſúſque ſub Diocletiano: ſed non propterea quòd in eo à cæteris diſſentiat, in aliis quæ nos docet reſpuendus, tum præcipuè cùm aliorum teſtimonio ſuſtinentur, veluti quæ de Firmini cum Anſberto conſanguinitate retulit genealogicorum auctorum quos dabimus, auctoritate confirmata, & à quibus hoc Firmini martyrium non recenſetur, vti commentitium, & omnibus antiquis ſcriptoribus inuiſum.

CAPVT VII.

De RAGINFREDO, *&* GAMARDO ANSBERTI *fratribus, eorúmque liberis.*

NON adhuc iracundiam ſuam Faber reprimere valet, pulſat enim acriter Raginfredum, & Gamardum, eiúſque ſorores Godam, & Mariam, quos Ferreoli filios, ac per conſequens Anſberti fratres inficiatur, exploſo auctoris ſancti Vincentij Metenſis teſtimonio. Attamen qui eius fidem firmant auctores ſuprà laudati, in hoc etiam ipſi ſuffragantur, vt ex illorum relatione conſtat; addit inſuper Raginfredum ab amico noſtro apud Gregorium Turonenſem ſub nomine Pæonij perperam deſignari: ſed cùm auctores noſtri genealogici, hunc Mum-

Pag. 127. & ſeqq. Pag. 254. & ſeqq.

Lib. 4. c. 3. moli Patritij patrem denotent. Gregorius verò Turonenſis huius Mummoli patrem, Pæonium vocet, tributo illi comitatus Altiſſiodorenſis titulo, non abs re Dubouchetus Raginfredum, eundem ac Pæonium exiſtimauit; cùm apud auctores nonnulla occurrant exempla veterum Gallorum, qui duplici nomine deſignabantur, vt apud Gregorium Turonenſem Guntramnus Boſo; in vita S. Romarici, & apud Paulum Diaconum, Goerricus, qui & Abbo, in vita S. Pauli Epiſcopi Virdunenſis Grimo, qui & Adalgiſus dictus eſt, multíque alij binomines, quos longum eſſet recenſere.

Pag. 90. Vrget iterum Faber, aſſeritque Gamardi liberos, Godinum ſcilicet, ſanctam Segolenam, Ratbertum, Dodanam, & Dodalinam perſonas eſſe ad fabulam concinnandam inductas. Poterat tamen animaduertere Godinum virum non eſſe commentitium, cùm hunc corrupto *Gedeni* nomine Abbo, ſiue Goericus in epiſtola ad Deſiderium Cadurcenſem Epiſcopum *germanum ſuum* vocet, ac proinde diuerſum inſinuet à Warnacharij Maioris Domus filio, quem in hoc ſtemmate ſubiectum ſibi finxit vir eruditus: Goericum enim Gamardo Anſberti fratre natum, docet nos vita S. Clodulfi, ac per conſequens Godinum eodem patre genitum eſſe cenſendum: Vnde hunc Abbo germanum ſuum agnoſcit. Pugnat etiam contra Fabri mentem temporis ratio: Nam Godinus Warnacharij filius obiit teſte Fredegario ſub Clotario

Tom. I col lect. Hiſt. Franc. Pag. 886.

tario

tario II. anno eius imperij quadrageſimo tertio, id eſt anno Chriſti 526. At Godinus de quo nunc agimus diu vixit ſub Dagoberto, vt ex hac epiſtola colligitur, quæ ſcripta fuit ad Deſiderium iam Cadurcenſem Epiſcopum: Deſiderius verò fratri ſuo Ruſtico immaniter cæſo ſuffectus anno octauo Dagoberti, vt ex eiuſdem Regis epiſtola nondum edita, *Epiſcopis, Ducibus, cunctóque populo Galliarum finibus conſtituto*, in gratiam eiuſdem inaugurandi Deſiderij inſcripta, palàm conſtat. Is autem annus, ſeu à tempore quo Dagobertus Auſtraſiis præfuit, repetatur, in annum Chriſti 630. incidit; ſeu ab eo quo defuncto patre Clotario II. vtriſque Francis imperauit, concurrit cum anno 636. Quare cùm Godinus iſte Deſiderio iam Epiſcopo notus fuerit, certum eſt alium fuiſſe à Warnacharij filio, qui iam antè deceſſerat, quàm Deſiderius ad Epiſcopatum promoueretur.

Exemplar penes me habeoquod Deo facien-te cum Deſiderij Vita publici iuris faciemus.

Debuerat etiam Segolenæ memoriam venerari, cuius feſtiua ſolemnitas celebratur Metis, ac in Diœceſi Albienſi IX. Kal. Auguſti, nec non apud Aruernos in vrbe Claromontenſi, vbi in eius honorem altare excitatum indicat vetus index Eccleſiarum, & altarium Claromontij à Sauarone editus, qui ſic habet: *In Monaſterio Rubiacenſe, altare ſanctæ Mariæ, altare S.* SEGOLENÆ, *altare ſanctæ Genoueſæ; ibi requieſcit S. Sacra.* Non explodenda quoque Doda, & Dodalina, quia ſunt affinia hæc nomina, cùm in vna eadémque familia vno tantummodò ele-

Martyrol. Gallican. Sauſſai.

K

Digitized by Google

mento immutato diuerſas fratrum appellationes doceat nos Vita S. Audoëni qui *Dado* dicebatur, eíque fratres erant *Ado*, & *Rado*, de quibus etiam meminit Sigebertus ad annum 637. ac in Martyrologio Romano 31. Maij occurrant *Cantius*, *Cantianus & Cantianilla*.

Non irreuerenter etiam agere debuerat cum Goerrico, quem inter Sanctos relatum, Metenſis Eccleſiæ monumenta teſtantur, eiúſque feſtum celebrari XIII. Kalend. Octobris, tum in hac ciuitate, tum in Caſtro Spinalij, vbi monaſterium Virginum in Voſago monte conſtruxit, in quo Pretia eius filia Primiceria fuit. Ridet quippe Faber, ab auctoribus quibuſdam Regiam ipſi apud Aquitanos tributam maieſtatem, cùm in his regionibus hac tempeſtate, ne Ducis quidem dignitas fuerit audita; contrarium tamen referunt eius acta à R. P. Thoma Aquinate laudata, quæ Goerricum in Albienſis territorij regimine ſuffectum narrant, ac potiorem Aquitaniæ partem ſub nomine Ducis adminiſtraſſe. At Regis nomen ab auctoribus ſequioris æui Ducibus impropriè tributum, longa ſatis obſeruatione aliàs docui, noua tamen huiuſce loquendi formulæ in gratiam eruditi Fabri exempla indicabo. Sic in legibus Alamannorum patrimonium Comitis *Regnum* dicitur; Sic Gregorius Turonenſis Britannos Armoricos ſemper Regum Francorum imperio paruiſſe aſſerit, & Comites, non verò *Reges* dictos; eodem loco nihilo-

In Aſſertore Gallico ad Exemp. de Carolo Martello.
Tit. 35.
Lib. 4. c. 4.
Lib. 5. c. 16.

minus, & alibi eorum ditionem, *Regnum* nuncupat. Simili loquendi abuſu apud Aimonium Hunoldus dicitur *Regnum Aquitaniæ* affectaſſe: Ita in Chronico Malleacenſi, cuius nobis copiam fecit clariſſimus vir P. Puteanus, hæc verba referuntur: *Anno* 1058. *Willelmo Comiti Pictauienſi, qui & Petrus cognomento Acer, ſucceſſit in Regno Gofredus.* Cùm ergo Ducum ditiones, Regni vocabulo apud priſcos auctores exprimantur, non ludere debuit Faber, cùm Goerricum, Regem nuncupatum audiit, quia Ducis titulo fuit inſignitus, vt patet ex eius actis à Sauſſayo relatis, ex quibus præterea conſtat, hunc natum eſſe *ex nobili proſapia Ansberti Senatoris aui ſancti Arnulfi.* Ideóque in alia eius vita apud Surium edita dicitur, *Arnulfi propinquus,* ſed quo gradu variant auctores genealogici; quidam enim hunc Gamardi nepotem, & Godini filium referunt, alij Godini fratrem, & Gamardi filium, vt auctor Vitæ S. Clodulf. & Genealogiæ S. Arnulfi in Lotario Ludouici Pij deſinentis, quod verius puto, extat enim vt prænotauimus Abbonis, hoc enim erat Goerrico cognomen, ad Deſiderium Epiſcopum Cadurcenſem epiſtola, in qua *Gedeni*, ſeu *Godini* meminit, quem *germanum ſuum* vocat; Hunc autem Abbonem eundem eſſe ac Goerricum Metenſem, teſtatur ipſemet eodem loco, ſicut & Deſiderius in alia ad Abbonem Papam epiſtola, in qua rogat ipſum, *vt ſicut ſub ſæculi habitu in contubernio Sereniſſimi Flotharij Principis mutuis*

In vita 1. Goerrici 19. Septemb.

Tom. 1. collect. hiſt. Francor. pag. 886.

Ibid p. 878.

Digitized by Google

ſolebant *ſe releuare tabellis, ita iam nunc illa ad plenum depoſita vanitate, dulcia liceret Chriſti ruminare præcepta.* Vtrique enim in aula Regum Clotarij II. & Dagoberti enutriti fuerant, vt ex eorum mutua relatione perhibetur.

CAPVT VIII.

De ANSBERTO *Senatore, & cùm primùm eius meminerint auctores.*

VT in vrbium obſidionibus antequam murus perfodiatur parantur machinæ, & quæ occurrunt obuia, expugnantur, ſic eruditus Faber Anſberti genealogiam aggreſſurus, in eius Maiores, ac fratres impetum ſuum pertulit, vt leui deinde negotio Anſbertum, eiúſque ſobolem, veluti omni auxilio vndequaque deſtitutam contereret. Cur in illum arma moueat libello denunciat, & ne inſidiis magis, quàm aperto Marte pugnare videatur, præmiſſâ clarigatione, ſe illius aduerſarium profitetur, iactátque ſe hunc olim protriuiſſe, nec pati poſſe exciſum hoſtem de nouo caput exerere. Ne quis eius partes ſectetur, hunc impoſtorem vocat, qui ſe falsò Carlouingiorum Principum familiæ auctorem inſcribit, & Blithildis regiæ fœminæ Clotarij filiæ maritum. Plures qui de eius ſtatu, &

Parte I. c. I. pag. I. & ſeqq.

Digitized by Google

affinitate deponant, exhibent ſe teſtes, quia tamen Gregorius Turonenſis non illum nouit, nec Fredegarius Scholaſticus, nec ille qui Geſta Francorum epitomata compoſuit, nec quis ex auctoribus qui de Sanctis ſcripſere à Ducheſnio editis, nullus ex aliis tantæ auctoritatis eſt, vt iracundiam Fabri poſſit retardare. Vt eorum patrocinium eludat, addit Paulum Diaconum, & Theganum chorepiſcopum Treuirenſem, quorum primus ſub Carolo Magno, alter ſub Ludouico Pio vixit, Caroli Magni originem non ab Anſberto, ſed ab Arnulfo deduxiſſe: Anſberti nomine nullum apud Antiquos deſignari, præter Anſbertum Fontanellæ Abbatem, & alterum Rotomagenſem Epiſcopum, huius verò, cui Senatoris tituli ſunt attributi, memoriam à recentioribus excitatam, vt Carlouingicis Principibus adularentur. Variam præterea & non cohærentem inter auctores de Anſberto ſententiam, eius impoſturam ſatis demonſtrare, cùm iſti hunc Blithildis Clotarij I. hi II. filiæ, maritum referant, alij hunc nobilem inter Francos, Aquitanum alij, iſti Narbonenſem, ac denique Romanum, modò Senatorem, Ducem, & Maiorem domus prædicent.

Part. 1 c. 11. Pag. 15. & ſeqq.

Pag. 154.

Verùm quia hæc cauſa quodammodo capitalis eſt, & in ſe continet accuſationem, ſi non impetu, ſed iudiciario ordine ritè perageretur, æquá-ne amabo iudicis foret ſententia, qui reum damnaret, eo quòd nulli in ipſius conuictionem teſtes

deponerent, ſed qui ab accuſatore exhiberentur, cum non nouiſſe declararent? Simili profectò ratiocinatione in Anſbertum Faber tulit capitale iudicium: Nulli enim auctores hunc Carlouingicæ familiæ principem virum inficiantur, infiniti propè aſſerunt, nulli negant Blithildis maritum, plures adſtruunt: quid ergo? nihil de eo Gregorius Turonenſis, nihil Fredegarius, & alij qui vſque ad Pipini, aut Caroli Magni tempora ſcripſere; quaſi eorum ſilentium pro diſſimulatione manifeſta ſit accipiendum. Aperta tamen ſubeſt ratio cur de ipſo mentionem non fecerint, nam cùm ante Pipinum eius maiores in Galliis non imperarent, eorum familia inter priuatas meritò cenſebatur, ideóque tunc primùm eius origo patefacta, cùm in eam deficiente Merouingiorum maſcula ſobole, ſumma rerum Francicarum tranſlata eſt. Pauci admodùm prætereà ante Pipinum de rebus Francicis ſcripſere, adeò vt ni diligentiſſimus Andreas Duchesnius ex variis Eccleſiarum tabulariis acta quorumdam Sanctorum, qui ſub prima Regum ſtirpe floruere, in lucem edidiſſet, vetus noſtra mirum in modum cæcutiret hiſtoria; At ex ſimili penu varia prodiere monumenta, quæ Anſbertum apertè vindicant, ſed antequam illorum proferamus auctoritates, aduertamus quæſo, vt Fabri mens fluctuet, in conſtituendo tempore quo primùm, vt ſibi ſuaſit, Anſberti, & Blithildis audita fabula.

Digitized by Google

Diſſertationis hiſtoricæ prima parte cap. 4. ait Arnulfi genitorem circa finem noni ſæculi in vulgus prodiiſſe, tum pagina ſequenti eorum quæ fatus eſt, immemor, aſſerit cognationem, quæ inter Arnulfum, & Clotarium II. interceſſerat propter Anſberti eius aui, cum Blitilde Clotarij I. filia, nuptias, non niſi ſub Carolo Magno ſcriptoribus patuiſſe. Eadem ſtabilitate ſecunda parte cap. 8. poſtquàm genealogiam ſancti Arnulfi ex codice S. Vincentij Metenſis depromptam miſerrimè lacerauit, eámque duodecimo ſæculo ſibi finxit concinnatam, Metenſem ciuitatem officinam in qua Anſberti fabula ſit fabricata profitetur: capite tamen vndecimo in quo de genealogia eiuſdem Præſulis à Caniſio ex Bibliotheca ſancti Galli edita, verba facit, eius auctorem quem ſub Ludouico Germaniæ Rege vixiſſe certum eſt, primum Anſberti fabulæ artificem agnoſcit. Sed quam ipſi figmenti labem inurit, ſequenti capite mox eluit, dum alterum regum noſtrorum originis ſcriptorem ex Bibliotheca Sereniſſimi Britanniarum Regis depromptum, quem ſub Pipino, & Carolo Magno vixiſſe perhibet, primum Anſberti efformatorem ſuſpicatur, eíque ſocium adiungit, auctorem fragmenti de Maioribus domus.

De nuptiis Anſberti cũ Blitilde.
Pag. 8.
Pag. 9.
Pag. 125.
Pag. 143.
Pag. 158.
Pag. 159.

Vt in diuinando Anſberti patre infœlix Faber, ita in eius nomine explodendo, dum non alios huiuſce nominis apud veteres agnoſcit, præter duos, Anſbertum ſcilicet Fontanellæ Abbatem, & alte-

rum Rotomagenſem Epiſcopum : ſed quàm grauiter errauerit, ipſius Anſberti Rotomagenſis Epiſcopi vita demonſtrat, quæ Anſbertum Fontanellæ Abbatem, eundem ac Rotomagenſem Epiſcopum palam teſtatur : ſic enim habet : *In prædicto verò cœnobio Fontanellæ poſt receſſum S. Pontificis Lantberti, diuino nutu iuuante vnanimes eiuſdem congregationis Monachi, Beatum Anſbertum ſibi eligunt præeſſe rectorem, &c. ſequenti tempore contigit vt Beatus Audoënus Rotomagenſis vrbis Pontifex plenus virtutibus, & ſanctis actibus à Domino vocatus migraret è mundo fœliciter, in cuius exequiis Beatus pater Anſbertus vnà cum aliquibus Monachorum ſuorum, clericorúmque, ac ſacerdotum Chriſti cohorte plurima affuit, qui vigilias eius ſacræ depoſitionis ſolemniter celebrantes, dignis exequiarum honorarunt debitâ ſeruitute obſequiis : Poſt cuius ſacrum tranſitum, ne Eccleſia paſtore amiſſo iacturam pateretur, cuncti Rotomagenſis vrbis ciues miſſa petitione ad Theodoricum glorioſum Regem, cum eius permiſſu, & auctoritate Beatum Anſbertum ſibi elegerunt conſecrari Antiſtitem.* Sic Tonantium Ferreolum duos eſſe voluit Faber non vnum, ſic dum Anſbertum Blithildis maritum expungit, Rotomagenſem in alium diuidit, vt etiam inuitus alterum Anſbertum ſubſtituat in locum eius, quem explodit, & in multiplicandis hominibus, non ſecus ac numeris, muneris ſui experimentum edat. Sed nec Anſberti nomine ſolus Rotomagenſis Pontifex notus, fuit & alius Abrincenſis qui Michaëli Archangelo ædem

Apud Ducheſnium collection. Tom. 1. pag. 681.

Digitized by Google

ædem conſtruxit in periculo maris ad Tumbam: fuit & Anſbertus vel Aubertus Cameracenſis, de quo Baldricus in Chronico, & Surius ſexto Februarij, qui S. Vedaſti corpus anno 658. tranſtulit, & ſubſcripſit priuilegio Landerici Pariſienſis pro Dionyſianis. Fuit & ſub Brunichilde Anſebertus in partibus Cadurcorum, qui filiam ſuam Magneldem nuptum dedit Gundeberto Maximi patri, vt ex eiuſdem Maximi apud Bolandum vita patet: Extitit & Anſbertus Senator Blithildis maritus, de quo ſcriptores non pauci, fidei non contemnendæ.

Mitto in præſens auctoritatem vitæ S. Ferreoli Epiſcopi Vcecienſis, quia Fabro ſuſpecta, licèt expulſis Narbona Sarracenis hanc conſcriptam rear; indéque optimè meritus de re antiquaria Petrus Caſanoua, Carlouingicæ familiæ originem Galliæ Narbonenſi adſcripſerit, in eius tamen ſubſidium monumenta noua ſubminiſtrabo. Primus qui Anſberti proſapiam accuratè deſcripſit, occurrit auctor vitæ ſancti Clodulfi, cuius verba etſi à nobis ſuprà cap. 4. relata, hîc iterùm adtexere non pigebit, ſic enim habet: *Scripturi verò aliquid ex Beati Clodulfi geſtis & de tanto viro locuturi, conſueto ordine iuſtæ narrationis, quis vel vnde fuerit, primùm neceſſe eſt intimemus, proſapiáque ſic nobilis ſic inclyta* QVIA PRÆSENTIBVS LVCIDISSIME PATET, *futuris etiam aperta ſit, iuſtum eſt vt faciamus. Nam genealogiam paternam* B. ARNVLFVS *huius ſanctæ Metenſis ſedis*

Pontifex coruſcam mirabiliter facit, & decentiſſimam reddit, dum eius genitor prædicatur & eſt, qui ex antiquo Senatorum genere Patre ARNOALDO *procreatus, Franciam omnem, imò totam Galliam nobilitate, ac decentiſſimâ generoſitate ſuperauit, & in ſuperando ingenti gloriâ famoſam reddidit, & honeſtam:* ARNOALDVS *quem dicimus patrem habuit* ANSPERTVM, *qui ditatus non ſolùm rerum opulentiâ, verùm fratrum dignitate, & conſociali excellentia glorioſus effulſit, &c.* Huius auctoris ætate notum Anſberti genus ſatis ipſemet perhibet, dum ait Clodulfi maiores & originem ſe ideo poſteris commendare, *quia præſentibus lucidiſſimè patet*: Ipſum verò ſub Pipino vixiſſe ex eodem facilè colligitur, dum refert Clodulfum petenti Arnulfo ex facultatibus, quas ab ipſo acceperat, pauca contuliſſe, vt pauperibus erogaret; Anchiſem verò omnia eius arbitrio commiſiſſe: *Quapropter*, inquit, *eiuſdem piiſſimi patris Beati, videlicet Arnulfi magnificis benedictionibus ditatus, ſpirituali ac per hoc prophetali præuiſione, quòd totam Franciam, imò & totam Galliam ſibi, & filiis ſuis, & filiorum filiis per multas generationum ſucceſſiones omnipotens Deus collaturus eſſet audire promeruit. Quod & accidit dum iſdem Anchiſes ſicut pater fuerat Maior regiæ domus effectus, eiuſdem officii ſucceſſionem filio, & pòſt filii filio dereliquit.* IAM PIPINVS *ex eodem miniſterio in Regem totius Galliæ à Beato Papa Stephano conſecratus, & benedictus, primus ex Beati Arnulfi fœliciſſima ſtirpe Regalibus ſceptris, ſéque & ſuccedentem prolem fœlici au-*

Digitized by Google

ſpicio, & beatis initiis decoram reddidit & honeſtam. Particula *iam*, præſens tempus denotat, adeò vt is auctor ſcripſiſſe videatur, tunc cùm Pipinus, eiúſque liberi Carolus, & Carlomannus à Stephano Papa circa annum 754. nouiſſimè fuerant conſecrati, nam ſi ſub Ludouico Pio, aut inferioribus Regibus vixiſſet, eos ſine dubio recenſuiſſet, non ſecus ac Paulus Diaconus, qui poſt illum huius prænuncij verba faciens, vt eius veritatem patefaceret, Pipini ſucceſſores, ad Pipinum vſque Italiæ Regem, & Ludouicum Aquitaniæ, Ludouici Pij filios proſequutus eſt.

Hunc auctorem excipit alius eiuſdem tempeſtatis infrà attexendus, qui Anſberti genus ad Pipinum vſque ſingillatim deducit, ſéque ſub eo ſcribere ſic teſtatur: *Item Carolus ſenior & Dux genuit Pipinum quem Stephanus Romanus Pontifex conſecrauit & vnxit in Regem qui* HODIE *fœliciter regnat in Gallia, & Aquitania.*

His adiungendus auctor genealogiæ Regum Francorum ex Bibliotheca Regis Britanniæ deſcriptus, ſicut & auctor libelli de Maioribus domus, quos ſub Pipino aut Carolo Magno vixiſſe Faber non diffitetur. In his quidem Blithildis Anſberto nupta, filia ſecundi Lotharij dicitur, ſed manifeſto errore, rectéque monuit C. V. Philippus Labbeus reponendum eſſe, *Filia ſecunda Lotharii*: nam & hanc lectionem conſtanter præfert vetus codex manu exaratus Bibliothecæ S. Cornelij Compen-

Pag. 158.

In diſſertatione de coniugio Ansberti & Blithildis.

Digitized by Google

dienſis, & ipſa auctoris libelli de Maioribus domus verba inſinuant, dum priùs ait; *Et poſt tranſmigrationem generationis ex filia Clotarii Regis, Ansbertus genuit Arnoldum, Arnoldus genuit Arnulfum.* Eam ſiquidem abſolutè Clotarij Regis filiam dicit, poſtmodùm verò natu ſecundam, vt illam ſpeciali notâ deſignet.

Anſberti progeniem proſequutus eſt etiam vetus auctor vſque ad Carolum Magnum, Arnulfi vitæ in perantiquo codice Bibliothecæ S. Germani à Pratis adiectus. Hanc deinde ad Lotharium Ludouici Pij filium perduxit alius qui extat in codice S. Symphoriani Metenſis; alius vſque ad Ludouicum Germaniæ Regem, qui extat in collectione Caniſij, & apud Bolandum poſt Tarſitiæ vitam.

Imò & ipſe Carolus Caluus ab Anſberto genus ſuum deduxit, vt conſtat ex vetuſto codice Monaſterij S. Bertini apud S. Audomarum: Sic enim habet initio: *Incipit genealogia Nobiliſſimorum Francorum, Imperatorum, & Regum, dictata à* CAROLO *Rege Compendienſis loci reſtauratore poſt bina incendia.* ANSBERTVS *Nobiliſſimus genuit Arnoldum ex Blithilde filia Clotarii Regis Francorum, & Ferreolum, & Modericum, & Tarſitiam.* Et hæc eſt genealogica illa ſeries, quam monacho cuidam, quem Columbanum autumant, verſibus heroicis concinnandam præcepit. Hanc quidem Faber deprimit veluti commentitium poëma, quia Franciæ originem à

Franco Hectoris filio deducit, quaſi non eadem ratione expungendi ſint omnes veteres Hiſtorici, quorum numerus frequens eſt, qui Francos à Troianis deduxere, & Anchiſes ex Arnulfi ſobole delendus, quia hunc ab Anchiſe Æneæ filio Paulus Diaconus nomen traxiſſe comminiſcitur.

Non æquè meliùs putant alij, qui non ante Carolum Caluum Anſberti genealogiam auditam ex his verſibus ſic typis excuſis colligunt.

Quæ celebranda forent præmiſſis intulit ipſe. ſcilicet Carolus.

Quæ tibi ſunt comperta modò, tu carmine pande.

Quaſi tunc primùm Anſberti genus notum fuerit, non aduertentes auctorem huiuſce carminis gloriari, quòd ipſi Carolus Caluus in mandatis dederit, vt deſcriptum ab ipſomet Rege Maiorum ſuorum ſtemma, verſibus heroïcis proſequeretur, ideóque ſic Carolum loquentem inducit,

Quæ tibi ſunt comperta, modò tu carmine pande.

Anteponenda ſiquidem aduerbio virgula, aliàs enim auctoris menti, & Caroli Regis imperio, & rei geſtæ veritati hæc loquendi formula non conueniret, Anſberti quippe genus longè antea notum ex ſuprà dictis conſtat.

Eandem Anſberti genealogiam deſcripſit alius oratione ſoluta, qui ſub Ludouico Balbo vixit, cuius fragmentum extat in veteri codice S. Victoris Pariſienſis, ſicut & alter qui lineis diſcurrentibus eiuſdem Anſberti progeniem ad Ludouicum IV.

Num. BBB. 4. Ibid Num. Q.... 10.

ſeu Tranſmarinum perduxit. Poſſem plures alios eiuſdem argumenti auctores proferre, qui ab Hugone Capetio, eiúſque filio Roberto, Anſbertum Carlouingicæ familiæ primarium parentem agnouere. Sufficit modò eorum auctoritatem laudare, qui ab initio ſecundæ ſtirpis, ad finem vſque varia tempeſtate ſcripſere, vt receptam, & nuſquam in dubium reuocatam Anſberti familiam demonſtrem.

Aſſignat quidem eruditus Faber diſcrimen inter auctores, qui à rebus quas literis tradunt, non longo interuallo diſtant, aut qui procul remoti ſunt; adeò vt eorum fides ex tempore rei geſtæ, quam tractant, ſuſpecta ſit, vel recepta, nec inter antiquos recenſeri mereantur, ſi ſæculo de quo agunt, tribus aut quatuor ſæculis ſint poſteriores, licèt reſpectu noſtri, antiqui dici valeant, cùm iam à pluribus annis ſcripta ſua concinnarunt. Sic plures ex his quos ſuprà laudauimus, vt antiquos admittet, ſed ipſis fidem detrahet, veluti ab Anſber-
Pag. 155. to tribus, aut quatuor ſæculis remotis. Sed ſi Fredegarium Scholaſticum, Geſta Francorum epitomata, Paulum Warnefridum, Nithardum, Theganum, Reginonem, Aimonium Monachum, Adelmum, aliόſque eiuſdem claſſis ſcriptores admittit, vt Ansbertum eorum ſilentio explodat, cur non & alios iis ſuppares admittet, vt Ansbertum ex illorum relatione reuereatur?

Scripſit Fredegarius, & is qui geſta Francorum

in compendium digeſſit ſub Pipino; eadem & tempeſtate auctores Vitæ S. Clodulfi, Fragmenti de Maioribus domus, & Genealogiæ S. Arnulfi, quam nobis clariſſimus Vignerius ſuppeditauit, opera ſua litteris mandarunt. Floruit ſub Carolo Magno Paulus Warnefridus; damus & aliam Arnulfi genealogiam in Carolo Magno deſinentem. Scripſit Theganus ſub Ludouico Pio; edimus & binas genealogias ſub Lothario Imperatore, & Ludouico Rege Germaniæ concinnatas. Fuit Nithardus Caroli Calui coætaneus, eique opus ſuum inſcripſit; at Maiores ſuos ab Ansberto vſque ad Ludouicum eius patrem deduxit ipſe Carolus, quem ſequutus poſtmodum Columbanus, aut quis alius non illepidus poëta. Laudat Reginonem Faber; ipſi ſuppar auctor qui regum Francorum originem ſub Ludouico Balbo digeſſit. Obtrudit Aimonium Monachum, & alios huiuſmodi ſcriptores, iis antiquior auctor ſtemmatis regij in Ludouico IV. deſinentis, eiuſdémque ætatis alius auctor Bibliothecæ S. Victoris Pariſienſis, qui idem argumentum anno 1058. proſequutus eſt, nec poſterior longè Sigebertus Gemblacenſis, quem inter antiquos cum quibuſdam aliis, in ipſa Ansberti cauſa, vir in rebus hiſtoricis apprimè verſatus Ioannes Beſlius admittit: Sic enim habet: *Nomine veterum in hoc argumento intelligo auctorem fragmenti de Maioribus domus Francorum, qui vixit ætate Caroli Magni, apud Pithœum Hiſt. Tom. II. edit. Pariſ. pag.*

Num. BBB. 13.

De Hugone R. Italiæ pag. 69.

1. Sigebertum in Chronico anno 627. Willelmum Malmeſburienſem de rebus Angl. lib. 1. p. 25. & Anonymum qui ex profeſſo genealogiam ipſius B. Arnulfi delineauit ad annum 1108. & quod excurrit tom. 1. p. 304. Hiſt. eiuſdem Pithœi, qui primus euulgauit ex membrana quæ etiamnum extat in Bibliotheca Illuſtriſſimi Præſidis Jac. Thuani, quæ verò deinceps ad annum 1261. adiecta ſunt, alterius eſſe deprehendi, ex ipſius libelli lectione, & vetuſta membrana, cuius vſum mihi fecit Iacobus Sirmundus harum rerum ſtudioſus, & ſcriptis ſuis clarus. Si veterum ergo claſſi accenſet in hac cauſa vir doctiſſimus auctores, qui decimo etiam ſæculo vixere, non inter certè infimos ablegandus auctor Vitæ S. Ferreoli, quem ante Pipinum de Ansberto, & Blithilde mentionem feciſſe non leuis eſt coniectura, ſicut nec cæteri ſequaces, quorum ſcripta ſub ipſis ſecundæ Regum familiæ initiis in lucem prodiere.

Scrupuloſa profectò nimis Fabri obſeruatio; nam ſi coætaneis tantummodò credendum auctoribus, aut iis qui à rebus geſtis non longo tractu diſtant, fabula eſt Regum Romanorum hiſtoria, quam ſub Auguſto Liuius ſcripſit, eiuſdémque auctoritatis Alexandri Vita longiſſimis à tanto Principe diebus à Quinto Curtio concinnata. Temperanda igitur eruditi viri ſententia; tunc demùm ſcilicet ſubleſtam eſſe auctoris non coætanei fidem, cùm ea quæ tradit, ipſi aliorum relatione nota eſſe non poſſunt, vel nullius auctoritate confirmantur, aut à recepta traditione diſſident,

aut

aut contrario omninò facto conuelluntur.

At in Anſberti cauſa eo ſæculo quo ſcripſit au-
ctor vitæ S. Clodulfi, nota vt ipſe aſſerit, tanti
Præſulis origo, quam ab Anſberto repetit; non
ſecus ac aliis quos laudauimus, qui ſub Pipino, &
Carolo Magno vixere, quibus per bina ſæcula non
præiuit Anſbertus, & intra tempora vt laudari poſ-
ſint, à Fabro deſignata reperiuntur, licèt dubius Pag. 35.
nec ſibi conſtans in alia ſit eodem capite & duode- Pag. 22.
cimo ſententia. Cur non etiam fides adhibenda Pag. 161.
poſterioribus qui ſub Lothario, Ludouico Ger-
maniæ Rege, & Carolo Caluo ſcripſere, quos alij
deinde certatim amplexi ſunt? Hi iam à primis tra-
ditione imbuti, vel etiam nouis actis informati,
quæ de Regum noſtrorum origine acceperant, ne-
potibus conſona voce tradidere, ſolúſque occurrit
Faber, qui Anſberto de ſtatu ſuo quæſtionem mo-
uerit. Reſpondeat amabo an ipſe Carolo Caluo,
qui Maiorum ſuorum ſeriem pertexuit, de gentis
eius primordiis certior cenſeri debeat? Num au-
ctor Annalium Fuldenſium, qui Caroli Calui vitia
falsò etiam quandoque arguit, ipſi non obieciſſet,
quòd à commentitiis proceribus ſuam deduxiſſet
originem? Num perfricatæ frontis fuiſſet Colum-
banus, aut quis alius Poëta, ſi Carolum ipſum allo-
quens ſubditítios illi Maiores attribuiſſet? Si fieri
valeat vt tot eruditi Viri, qui eiuſdem fuere ſenten-
tiæ, affectato per nouem ſæcula mendacio, veri-
tati fucum fecerint, vt Fabri operâ purior dete-
geretur.

Nec tot antiqua monumenta ſolo quorumdam ſilentio damnanda, cùm non omnia complecti valeant auctores, & manifeſta plerumque ſit ratio, cur plura reticuerint: Verbi gratia, opponit Faber Paulum Diaconum Caroli Magni originem non ab Anſberto, ſed ab Arnulfo deduxiſſe: non mirum, quia cùm de Epiſcopis Metenſibus ageret dum ad Arnulfum peruenit, quem obuium habuit, ab eo Caroli Magni ex neceſſitate ſubiecti ſtemma repetit, adeò vt ſi inter Metenſes Epiſcopos Anſbertus occurriſſet, eodem filo ab ipſo Caroli Magni genus deduxiſſet. Nec eſt quòd dicant Paulum Diaconum ſeriem quam refert, ab ipſomet Carolo accepiſſe: Non hoc eius verba ſonant, ſed referenda ſunt ad miraculum, quod in annulo in imum fluminis à Beato Arnulfo proiecto, ac deinde nouo caſu emergente, contigit, cuius fidem Caroli Magni auctoritate confirmat, vnde poſt eius narrationem ſubiungit: *Hæc ego non à qualibet mediocri perſona didici, ſed ipſo totius veritatis aſſertore præcelſo Rege Carolo referente cognoui, qui de eiuſdem Beati Arnulfi proſapia ei in generationis linea trinepos extabat; Nam venerandus iſte vir, vt ad ſuperiora redeam, iuuentutis ſuæ tempore, ex legitimi matrimonii copula duos filios procreauit Anchiſum & Clodulfum, &c.* Indéque ad Carolum Magnum gradatim deſcendit; ex quibus conſtat, fortuitò magis quàm ex profeſſo Paulum Diaconum ab Arnulfo Caroli genus repetiiſſe, nec de Anſberto niſi extra ſubiecti ordi-

Pag. 141. & alibi.

tiem, & ſine cauſa loqui potuiſſe.

Opponit etiam Faber, Theganum idem Caroli Magni genus deſcribentem, Beatum Arnulfum familiæ auctorem agnouiſſe, non Anſbertum: ſimilis illa loquendi formula, ac ſi quis hodie inuictiſſimum Regem noſtrum à S. Ludouico, non à Roberto Forti, aut Childebrando deduceret: efficit hoc magni viri eximia ſanctitas, & vt cœleſtis gloria terrenam ſuperat, ſic ad illos, qui ea fruuntur, natales potiùs nepotum referimus, quàm ad eos qui mundanis in ſæculo dignitatibus claruerunt. Nec ignorare potuit Theganus Arnulfi Maiores; deſinit quippe eius hiſtoria in Berengarij morte anno circiter 836. At Carolus Caluus initio regni ſui, aut non multo pòſt, anno videlicet 840. aut ſequenti, Arnulfi genus ab Anſberto delineauit, ipſiúſque iuſſu eiuſdem argumenti carmen prodiit, qua tempeſtate Theganus adhuc ſupereſſe poterat, ac Carolum Caluum falſi poterat inſimulare, ſi quid commentitium in ſuo ſtemmate repoſuiſſet. Quomodo præterea fieri valet? poſito quòd Carolus Caluus, vt nonnulli ex Fabri ſequacibus volunt, Anſberti fabulam commentus ſit, vt intra quatuor aut quinque annorum curricula, Anſberti genus ita omnium hiſtoricorum diuerſæ gentis, variæ dominationis, ac varij genij tam altè calamos peruaſerit, vt vnanimi omnium conſenſu inde Caroli Magni familiam deduxerint.

Addit Faber epitaphium Rothaidis Pipini fi-

Digitized by Google

liæ, non vltra Arnulfum eius Maiores proſequi: ſed aduertere debuerat, hanc in eius Baſilica fuiſſe reconditam, *pro eo namque quod à Beato Arnulfo iam fati Reges originem ducerent, ſuorum ibi carorum corpora poſuere*, vt ait Paulus Diaconus. Eáque cauſa eſt, cur vltra Arnulfum Rothais Maiores ſuos non recenſeat, quia dum ad Arnulfum peruenit ſic deſinit:

Hic me ſpe cuius freti poſuere Parentes.

Laudat etiam Faber Poëtam Saxonicum, qui Caroli Magni geſta proſecutus eſt, nec vltra Arnulfum progreditur: ſed ſi genealogicum Caroli Calui Poëma vir eruditus fabulam putat, & commentum, idem nunc mihi de hoc Saxonico vate ſentire liceret. Verùm non me latet plures graues hiſtorias metrico ſermone fuiſſe conſcriptas, quas tamen ideo in dubium reuocare nefas eſſet, quòd Poëtis, non ſecus ac pictoribus fingendi licentia condonetur. Valeat ergo Poëtæ Saxonici auctoritas, ſed aduertat Faber hunc Arnulfo Imperatori carmen ſuum inſcripſiſſe, ideóque Beati Arnulfi peculiariter meminiſſe, vt idem teſtatur his verſibus:

Præ cunctis igitur tibi cura nepotibus vna,
Quæſumus ARNVLFVS *ſit tuus homonymus.*

Imò & contra Fabrum aperta eſt huius auctoris ſententia, cùm de Caroli Magni origine ſic verba facit:

Cuius nunc inſigne genus ſi pandere coner,

Digitized by Google

Compellor Regum ſcribere catalogum, &c.
Eſt quoque iam notum, vulgaria carmina magnis
Laudibus, eius auos & proauos celebrant.
Pipinos, Carolos, LVDOVICOS *&* THEODRICOS
Et Carlomannos LOTHARIOSQVE *canunt.*

Quos enim Reges in Caroli Magni ſtemmate præter Pipinum recenſuiſſet is auctor? niſi ad Merouingios recurriſſet, quos ſatis denotat per *Ludouicos* & *Theodricos*, cùm nulli huiuſce nominis in paterno Caroli Magni ſtemmate reperiantur, ſed in materno ob Blithildem Anſberti vxorem Clotarij I. filiam; idque non ineleganter indicat hâc clauſulâ *Lothariósque canunt*, vt in breui ad citatam diſſertationem appendice obſeruauit Labbeus. Nec per *vulgaria carmina*, verſus Caroli Calui iuſſu conſcriptos exiſtimare fas eſt, vt inde tunc primùm notum Anſberti genus liceat ſuſpicari. Per vulgaria quippe carmina hoc loco rythmos patrio ſermone, ſeu vulgari, Theotiſco, aut Romano in vulgus emiſſos intelligit hic poëta. *Vulgaris* enim lingua Romana, differt omnino à Latina, qua deſcripti ſunt verſus Columbano attributi; ideóque in Concilio Turonenſi *Ruſtica Romana* dicitur ad differentiam purioris, vel Theotiſcæ, quæ hac tempeſtate maximè in vſu erat in verſibus conficiendis, vt patet ex verſione Euangeliorum Otfridi Wiſemburgenſis Rabani Mauri diſcipuli, & eiuſdem epiſtola ad Ludouicum Germaniæ Regem. Aut ſine dubio alludit Saxonicus iſte Vates ad Car-

Digitized by Google

mina à Carolo Magno de antiquis regibus compoſita, nam vt docet nos Eginhardus in eius Vita, *Barbara & antiquiſſima carmina, quibus veterum regum actus, ac bella canebantur, ſcripſit, memoriaeque mandauit.*

Non me moratur etiam diuerſa de Anſberti patria inter auctores ſententia, nec enim falluntur qui hunc Aquitanum dixere, cùm eo ſæculo quo ſcripſere, ipſa Narbonenſis ciuitas in Aquitania cenſeretur, vt colligitur ex Iſidoro, Annalibus Eginhardi ad annum 767. Aimonio in præfatione ad geſta Francorum, & auctore anonymo vitæ Ludouici Pij, qui dum Comites à Carolo Magno in Aquitania inſtitutos recenſet, Chorſonem Tholoſæ adſcribit, licèt hæc ciuitas in Narbonenſi I. ſita ſit. Non errant etiam qui hunc nobilem inter Francos, ſeu Auſtraſios vocant, cùm in Regno Theodeberti cuius ille propinquus erat, inter primarios viros emicaret, ideóque à quibuſdam Ducis ei titulus attribuatur, quaſi earum regionum, quæ in Aquitaniis Theodorico ceſſere, adminiſtratione functus ſit, eáque coniectura iuuari poſſit, quòd ſub eadem Ducis appellatione Aruerna, Rutena, atque Vcetia à Childeberto II. Auſtraſiorum Rege, Nicetio traditæ ſint. Vocet hunc Gothum Faber, non repugnabo, cùm ex ea regione trahat originem, quæ Wiſigothis parebat: Non aduerſatur etiam veritati, quòd alij Anſbertum Romanum putauerint, ſiue reſpexerint ad Senatoriam

Chro. Collegij Cholet. & Alberic.

Monachus Affighemenſ.

eius gentem, vnde *Senator* dictus, quod Faber ferre non poteſt: ſed de his ſatis ſuprà dictum eſt, cùm vmbratiles huiuſmodi titulos, his viris attributos demonſtrauimus, quorum patres inter illuſtres fuere recenſiti, poſtquam Gallia Narbonenſis in conſortium ciuitatis Romanæ vocata fuit. Sufficit vt ipſemet in Aquitania Senatorias familias aduerterit, veluti Firmini, & Sidonij, quarum prima Anicios auctores agnouit, è quibus prodiit Iuſtinianus, altera fuit Auiti Imperatoris affinitate celebris, ac per conſequens Senatorum familias adeo illuſtres extitiſſe, vt Reges Franci nihil de ſua maieſtate detraxerint, earum affinitatem per filiarum connubia non detrectantes. Romanæ igitur reſpectu dignitatis, Anſbertus Romanus dici potuit, ſeu quod verius puto, ex eo quòd Galli à Ligeri ad Pyrenæos vſque *Romani* appellentur, vt conſtat ex Fredegario Scholaſtico, eiúſque continuatore, dum narrant Carlomannum, & Pipinum tranſmiſſo Ligere *Romanos* protriuiſſe, & Bituricas vſque acceſſiſſe: Neque ſcrupulum mouet Germanicum Anſberti nomen Gallis inauditum; notum quippe eſt iam à longo tempore Francos Romanis immiſtos fuiſſe: Genouefa enim, cuius appellatio Germanica eſt, antè nata, quàm Pariſios Franci veniſſent: In Narbonenſi etiam Gallia licèt non niſi poſt mortem Clodouei fortiter tentata, Germanica nomina reperiuntur, vt apud Gregorium Turonenſem occurrit Deuteria, vel Theoteria, cuius

appellatio non minùs Germanica, quàm Græca videri poteſt, à voce ſcilicet *Theut*, aut *Deut* quæ Deum ſonat, deducta. Hanc tamen Fredegarius genere *Romanam* vocat, & Aimonius *Romani generis fœminam*, quamuis ipſa ſit Biterrenſis pagi in quo Caſtrum *Capraria*, quod tradidit Theodeberto. Quapropter licèt auctores qui de Anſberti patria loquuti ſunt, inter ſe videantur diſſimiles, re tamen attentiùs indagata inter ſe apprimè conueniunt.

Magis certè vrget argumentum, parum probabile videri, Anſbertum Narbonæ indigenam in Vita S. Ferreoli affirmari, cùm ea ciuitas Gothis pareret, & tamen amicus noſter Dubouchetus velit, Clodoueum ideo filiam ſuam Ferreolo nuptum dediſſe, vt illum à partibus Alarici ſubduceret. Vnde abſonum videtur, eius liberos apud eos quos deſeruerat, domicilium ſtatuiſſe, eóque potiſſimùm, quòd proſtrato Alarico, Narbonæ Geſſalicus eius naturalis filius à Gothis fuerit Rex ſalutatus: Expenſâ tamen accuratiùs rerum hac tempeſtate geſtarum ſerie, eadem facilitate, qua ſuperiores, hæc obiectio diluetur.

Ponamus ergo cum clariſſimo Duboucheto Ferreolum III. à Clodouei partibus ſtetiſſe, eiúſque generum factum ànno circiter 506. poſtquam Clodoueus, & Alaricus, in inſula Ligeris non longè ab Ambaſia conuenere. Vocladenſis clades in qua fuſus, & occiſus Alaricus, contigit Anaſtaſio Auguſto III. & Venantio Conſulibus indictione

XV.

xv. id eſt anno 507. quo Theodoricus victoriam patris proſequutus Rutenos, Albios, Aruernos, & Cadurcos fœliciter deuicit; ſequenti verò Clodoueus Toloſam cum conterminis quibuſdam ciuitatibus, Vceciam ſcilicet, & Loteuam. Poſt mortem Alarici Geſſalicus Narbonæ Gothici Regni moderamina ſuſcepit, & vt habet Chronicon legibus Wiſigothorum præfixum, *Regnauit annos tres, & in latebra annum vnum.* Anno 510. Gundebadus Rex Burgundiæ Narbonam ipſi eripuit, quam deinde Ibba à Theodorico Oſtrogothorum Rege, Amalrici filij legitimi Alarici, tutore, in Gallias cum valida manu miſſus, recuperauit: Deinde verò Amalricus recepta à tutore ſuo ea Regni parte, *quæ à Francis non fuerat peruaſa*, vt loquitur Aimonius, Chrotildem Clodouei filiam in matrimonium expetiuit.

Percurramus modò mutationes illas vt Anſbertum in tuto collocemus: quid illi verendum dum Geſſalicus Alarico defunctο Narbonæ Gothici regni ſolium aſcendit? Theodoricus enim apud Caſſiodorum ideo hunc à ſe Regno pulſum ſcribit, quòd hoſtibus ſuis, id eſt Francis clandeſtino fœdere eſſet adiunctus, & quidem Theodorici ſermonem verum eſſe arguit ipſius Geſſalici fuga: nam cùm in Africam confugiſſet, & à Thoriſmundo Vandalorum Rege Theodorici ſororio, quæ petierat non impetraſſet, in Aquitaniam, quæ iam Francis parebat, ſe recepit, in qua per an- Lib. 5. ep. 43.

N

num latuit: Tum Francorum copiis Hiſpaniam tentauit, commiſſóque prœlio ad duodecimum à Barcinone milliarium, ab Ibba Theodorici Duce victus, fugatúſque fuit.

Quid ſi Narbonem Martium ſpectemus à Gundebado Burgundionum Rege Geſſalico priùs ereptum; is certè Clodouei amicus, & ſocius? Quid ſi à Theodorico Oſtrogothorum Rege receptum? Hic Audofledam Clodouei ſororem duxerat, ideóque affinitatis iure, erga Anſbertum eiúſque fratres maioris auunculi locum obtinebat; Eo verò defuncto, nonne Amalricus Chrotildem Clodouei filiam ſibi copulauit? eáque ratione Ferreolus qui adhuc anno 520. in viuis erat, vt conſtat ex Vita S. Apollinaris Valentini, Amalrico fuit arcta iunctus affinitate, cùm ambo duas Clodouei filias vxores duxiſſent.

Nihil ergo moratur familiam Ferreoli in Regno Gothico ſedem fixiſſe, nec contra rerum naturam pugnat, vt externi alicuius Principis factionibus pater ſit inuolutus, eo tempore quo eius filij apud eos verſantur, à quibus ipſe receſſit. Exemplum præbet ſuperior ætas, quando Guillelmus Naſſouius Princeps Arauſicanus, cum Batauicis populis ab Hiſpanica dominatione defecit, interim cùm eius filius inter Hiſpanos Bruxellæ literis humanioribus ſtudium impendebat; Sed prætermiſſâ ſcrupuloſâ nimis hac diſquiſitione, cùm conſtet Theodoricum eodem anno, quo victus proſtratúſ-

que Alaricus, Aruernos, Ruthenos, Albienſes, & Cadurcos, qui priùs Gothis parebant, ſubegiſſe, nónne vero ſimile hunc Ferreolo ſororio ſuo earum regionum, cum iis quæ iam captâ Toloſâ in poteſtatem Francorum deuenêre, quæque Rutenis adiacent, & in Narbonenſi I. ſitæ ſunt, vti Loteua, & Vcetia, adminiſtrationem commendaſſe? eóque præcipuè quo Sidonius indicat, Ferreoli patrem prædium habuiſſe *Pruſianum* non longe à Vardo flumine, eiúſque auum apud *Treuidon* inter Rutenos non longè ab Æmiliano caſtro vltra Tarnem domicilium ſtatuiſſe. At hic fluuius Narbonenſem Prouinciam dirimit, ab Aquitanica, ideóque quia Rutenos per medium ſecat, modò inter Aquitanos recenſentur apud Plinium, modò inter Narbonenſis Prouinciæ populos; vnde cùm auctores Anſbertum eiúſque fratres Narbonenſes dixere, nulla ratione decepti ſunt. Lib. 3. c. 4. Lib. 4. c. 19.

Non etiam arguendi, qui Anſbertum inter Maiores domus collocarunt, cùm illius tempeſtate munus hoc in aulâ regum iam inductum ipſe Faber ex Gregorio Turonenſi rectè aduerterit, adductis Bodegiſili, Wardonis, & Florentiani exemplis, quibus accenſere debuerat Protadium, & Claudium vtroſque *genere Romanos*, qui ſub Brunechilde Auſtraſiorum Regina, Maioris domus dignitatem ſuſtinuere, vt inde nouum non videretur Anſbertum eiuſdem nationis, id eſt Tranſligerinum Fredegarius in Chronico.

hominem, in eodem Principum Auſtraſiorum palatio, hoc miniſterio fungi potuiſſe.

CAPVT IX.

De BLITHILDE, CLOTARII I. *Filia*, ANSBERTI *Vxore*.

SI regalis ortus dignitas, & muliebris ſexus ratio, quæ potiſſima erga Fabrum eſſe debuerant, Clodouei filiam iniuriæ ſubducere non potuerunt, ſperandum certè non erat, meliorem fore Blithildis conditionem. Vt in quibuſdam regionibus vxorem viro ſupereſſe ſine ignominia non licebat, ita poſt paratas Anſberto exequias, Blithildis funera ſine crimine meditari poſſe ſibi ſuaſit, eóq; faciliùs, quò nomen eius obſcurum putauerit, nec eam Gregorius Turonenſis, aut quis alius qui ſub Clothario I. ſcripſerit, Regis potentiſſimi dixerit eſſe filiam.

Pag. 151. & ſeqq.

Verùm hæc exprobratio totam Anſberti familiam inuoluit, & ſi alicuius illa momenti eſſe poteſt, æternæ nunc obliuioni tradendæ, plures eiuſdem Clotarij I. coniuges: Non enim meminit Haldetrudis, & Bertetrudis, quas tamen ex veteri Vita S. Audoëni à Fridegodo S. Odonis Diacono conſcripta, illius vxores fuiſſe conſtat: Sic quippe habet cap. 32. *Iſta verò Baſilica, in qua ſancta eius mem-*

Tom. 1. collect. Hiſt. Franc. pag. 638.

Digitized by Google

bra quieſcunt, Audoëni ſcilicet, *miro opere quadris lapidibus Gothica manu à* I. CLOTARIO *Francorum Rege olim nobiliter conſtructa fuit, anno plus minus quarto, & viceſimo Regni eius, ſedem Rotomagenſem obtinente* FLAVIO *Epiſcopo; in qua etiam duæ eius vxores, & Reginæ conditæ ſunt*, HALDETRVDIS *&* BERTETRVDIS. Nec quis hanc poſteriorem pro Bertrude, aut Bertrada Clotarij II. vxore, ex qua natus Dagobertus, accipiat; iſta Pariſiis in Eccleſia S. Germani à Pratis iacet, vt patet ex huiuſce Monaſterij necrologio; illa Rotomagi, teſte Fridegodo, cuius fides ideo minùs ſuſpecta, quòd characteres hoc loco annotati apprimè conueniant. Quarto quippe ſupra vigeſimum Clotarij I. anno, Flauius Rotomagi præerat, vt colligitur ex Concilio Aurelianenſi II. eiuſdem Regis anno 22. celebrato, cui ſubſcripſit Flauius, ſicut & Aurelianenſi III. & IV. eodem Rege imperante coacto. Vt Clotarij I. vxores prætermiſit Gregorius Turonenſis, ita & liberos; nam præter Blithildem de qua hîc agimus, extat in abbatia S. Sulpicij apud Bituriges, vetus Charta, qua laudatur *Clodomires*, eiuſdem Clotarij filius: Non etiam mentionem fecit Licinij Andecauorum Epiſcopi, quem ſtirpe Regiâ natum, & Clotarij I. conſanguineum fuiſſe, eius vita à Daniele quodam eius diſcipulo ſcripta teſtatur his verbis: *Beatiſſimus igitur Licinius Epiſcopus proſapiâ Regum gentis Francorum, vtilis ſatis, nobiliſque atque ditiſſimus in rebus ſæculi fuit, nobilior quoque, atque ſu-* Ibid tom. I. pag. 144.

blimior in diſciplina, & fide Chriſti permanſit, &c. cúmque iam pleniter edoctus ad roboratam perueniſſet ætatem, protinus pater eius commendauit eum Clotario Regi Francorum, cuius & CONSANGVINEVS *proximus erat.* Prætermiſit quoque *Wlfinum*, quem ex genere Childeberti I. aſſerit Vita S. Euſicij Confeſſoris, quæ ſic habet: *His verò diebus Childebertus Rex Francorum moto exercitu ſuo ad debellandam Hiſpaniæ terram, propter Almaricum, qui ſororem Regis ſibi coniugem impiè tractabat, de Franciæ finibus eſt egreſſus. Erat cùm Rege Nobiliſſimus vir quidam ex eius genere* WLFINVS *nomine.*

Non igitur inter vmbras protinus Blithildis ableganda, quia non fuit Gregorio Turonenſi, aut coætaneis ſcriptoribus nota: eadem ratione cum prioribus inter commentitias perſonas reputanda eſſet Ragintrudis, quam Theodeberti I. filiam indicat Auentinus: eandem ſortem experiretur Enymia, quam Clodouci ſobolem fruſtra dixit Vſuardus, cùm eius vitæ acta, hanc Clotario II. patre natam apertè deſignent, eámque ab Iſero Albienſi Epiſcopo tanta cum ſanctitate vitam in cacumine montis in quo Monaſterium conſtruxerat, tranſegiſſe, vt in Mimatenſi, & Albienſi agro memoria eius pridie nonas Octobris, quotannis magna cum feſtiuitate meruerit celebrari. Inuiſæ quoque veteribus Irmina, Adelais, & Rhotildis Dagoberti I. filiæ, quas tamen Coccius, & Autbertus Miræus è ſitu, & veterum ſchedarum

puluere fœliciter eruere. Sufficit in Blithildis cauſa, quotquot ſunt auctores, qui de Anſberto à Pipini tempeſtate verba fecere, Blithildem eius vxorem aſſeruiſſe, indéque Caroli Magni genus à Merouingiorum ſtirpe deduxiſſe; nullum verò in medium proferri, qui hoc palam inficietur, vel diſſimulet. Quare verior mihi videtur opinio iam nouem ſæculorum auctoritate firmata, quàm recens, & incerta Critici ſuſpicio, qui auctorum fidem eleuat, aut ſequitur, quatenus ſibi fauent, vel obloquuntur.

Non negabo tamen quoſdam à Fabro notari, qui ob variam de Blithildis patre narrationem ſcrupulum iniicere videantur, cùm hi Clotarij I. alij iunioris filiam referant. Et quidem ex antiquis auctor libelli de Maioribus domus hanc Clotario II. natam tradit, ſed manifeſto errore, cùm non *ſecundi Lotharii* filia, ſed *ſecunda* dicenda ſit, vt ſuprà monuimus. Hâc enim peculiari nota illam deſignat is auctor, non ſecus ac Albericus monachus trium Fontium, qui *primam* vocat, non ſecundam, eámque ſententiam ſecutus Faber, in Diſquiſitionibus Lotharingicis, cùm ex Sigeberto Gemblacenſi, non *Clotarii primi* filiam Blithildem eſſe voluit, ſed *primam* Clotarij filiam; an vt characterem, qui eius ſententię aduerſabatur, obliteraret, neſcio; an quia vocalium *a* & *i* facilis eſt inuerſio, vt apud auctorem libelli de Maioribus domus euenit. Ex hac elementorum turbatione natus error illorum,

Pag. 118. & ſeqq.

qui Blithildem Dagoberti ſororem dixere, vt Monachus S. Eparchij Engoliſmenſis, qui quàm parùm cautè Anſberti ſtemma delineauerit, vel ex eo patet, quòd Anchiſem Beggâ natum aſſerat, quæ eius *vxor* non mater, & Arnulfi *nurus* non coniux fuit. Hunc in Blithildis patre deſignando ſequuti ſeptem alij, quos Faber notauit, ſed præterquamquòd deuia illorum ſententia palam agnoſcitur, dum eam S. Arnulfi auiam conſtituentes, nepotem auiæ coætaneum fuiſſe fingunt, quod contra naturam eſt, nec aduertunt Arnulfum iam ſub ipſo Clotario II. inſtruendæ Dagoberti adoleſcentiæ operam impendiſſe, certiſſimum eſt maiorem auctorum numerum Blithildem Clotharij I. ſobolem aſſeruiſſe.

Communicauit R. P. Vignerius ex veteri codice ſancti Montis.

Primus qui hunc characterem adiecerit, occurrit Vmno qui Caroli Magni iuſſu S. Arnulfi vitam contexuit, vt in operis inſcriptione, & procœmio teſtatur, ſic enim titulus conceptus eſt: *Vita Sancti Arnulfi Epiſcopi Metenſis iuſſu Caroli Magni ſcripta:* at is capite 1. ſic de Blithildis cum Anſberto nuptiis, verba facit: *Clodoueus ſiquidem qui originem duxit à Troianis, primus Rex Francorum Chriſtianus, genuit præcelſum Regem Clotarium, cuius filiam Blithildem nomine Ansbertus vir Aquitanicus præpotens diuitiis & genere in matrimonium accepit, de qua Burtgiſum genuit*

Lib. 1. c. 37.

patrem Beati huius Arnulfi. Eiuſdem ſententiæ alius ſcriptor qui eiuſdem Præſulis acta deſcripſit, qui poſtquam de Clotarij I. maſculis liberis diſſeruit,

ſic

ſic de Blithilde ſententiam ſuam aperit : *Habuerunt etiam duas ſorores Clothildem, & Blithildem : Albouin Rex Longobardorum Clothildem duxit vxorem, Anſbertus Aquitanorum nobiliſſimus* BLITHILDEM *ſibi oppignorauit in matrimonium.*

Ita vetus ſcheda Bibliothecæ S. Victoris Pariſienſis, in qua Regum Francorum ſtemma lineis, veluti ramis diſcurrentibus delineatum eſt, Clotario I. Blithildem filiam aſſignat, & Anſberto vxorem. His apertè ſuffragatur Sigebertus ad annum 627. quem ſequitur Hariulfus in Chronico, dum hanc Clotario Clodouei filio natam refert ; iſtum excipit Albericus, qui Clotarium Blithildis genitorem, Guntramni, & Chilperici Regis fratrem affirmat : Idem ſentit genealogia B. Arnulfi à Duchesnio tom. 2. ex ſchedis Scholæ Metenſis edita, quæ Blithildem Clotildis, aut Clothſindæ, quam duxit Rex Longobardorum ſororem aſſerit. Clariùs Guillelmus Nangius, cuius verba eò libentiùs referam, quo non me latet magnum eius Chronicon in Fabri manibus verſari. Sic enim habet in Clotario I. *Vne fille eut auſſi le Roy Clotaire, qui fut mariée à vn Senateur d'Auſtraſie, de laquelle Dame deſcend Pepin le Roy de France, ſi comme vous oyrez en l'Hiſtoire qui s'enſuit, & cette Dame fut appellée* BLITHILDE. Idem in Chilperico III. *Et par ce que la deſcenduë des lignages aux Rois de France faillit icy endroit à Pepin, qui rien n'eſtoit au Roy Childeric par affinité de lignage : Nous dirons aprés, dont le Roy Pepin deſcen-*

Pag. 641.

Chronicon Abbreuiatū in Biblioth. S. Victoris Pariſienſis. Num. BBB. 4.

dit pour ce que l'on ſçache qu'il fut de la generation des Rois de France, &c. Nous auons dit par deſſus que le premier Clotaire Roy de France fils de Clouis, le premier Chreſtien, eut vne fille qui eut nom BATILDE, aliàs BLITHILDE, *laquelle fut mariée à vn haut Baron d'Auſtraſie, qui eſtoit Senateur en Auſtraſie, & auoit nom* AVBERT, *ce Aubert engendra en cette Dame vn vaillant Prince qui eut nom* ERNOVL, *& ce Ernoul engendra* S. ERNOVL, *qui fut Eueſque de Mets.*

Vixit anno 1549. ex eadem Bibliotheca S. Victoris. N. AAA. 15.

Eiuſdem mentis Chronicon Ioannis *Boüin* ad annum 569. ANSBERTVS, inquit, *nobilis vir duxit vxorem ſororem Chilperici, & Sigeberti* BLITHILDEM *nomine filiam Lotharii, ex quibus poſteà venerunt Reges Franciæ Pipinus, & Carolus.*

Vixit ſub Henrico II. Rege Angliæ.

His adiungendi auctores quos ſuprà retulimus, quibus addam Henricum Huntindonienſem quia peregrinus, & auctorem ſtemmatis ſub Ludouico VIII. deſcripti, qui omnes vno conſenſu Blithildem Clotarij filiam nulla expreſſa ſenioris, vel iunioris notâ, retulere. Rara enim apud veteres hæc deſignatio; quare cùm ex eorum mente liberum ſit Blithildem Clotario ſeniori adſcribere, pugnet verò contra iuniorem temporis ratio, ingenuè fatendum eſt Blithildem ſuffragiorum pondere Clotarij I. filiam eſſe cenſendam: & ſi non in eius patre conſentiant auctores, inter eos tamen de Blithildis nomine, Regiis eius natalibus, & cum Anſberto nuptiis conuenire; ita vt iam hæc ſufficiant ad vtriuſque probandam exiſtentiam; Aliàs enim ſi

ob malè deſignatos agnationis gradus, perſonæ illicò ſuppoſititiæ reputarentur, reiicienda modò foret Chrotildis Clodouei filia, quia Procopius eam Theodeberti ſororem vocat, quæ tamen Childeberti ſoror erat, & amita Theodeberti, Theodoricus enim Theodeberti pater, & Chrotildis erant eodem patre geniti.

CAPVT X.

In nuptiis ANSBERTI *cum* BLITHILDE, *naturæ ordinem non eſſe turbatum.*

HVC vſque Faber negatiuis vſus eſt argumentis, contendítque auctores, qui Blithildem Clotario I. aſſignarunt, nõ ſecus ac alios qui II. in abſona prorſus, & ridicula incidiſſe commenta; indè verò cauillandi anſam arripit, quòd Dubouchetus ſcripſerit, Clo- Part. 1. c. 13.
doueum filiam ſuam Ferreolo III. nuptum dediſ- Pag. 171. & ſeqq.
ſe, vt eum ab Alarici partibus auerteret. Fingit igitur ex eius mente, matrimonium hoc anno 504. aut 505. contigiſſe, Anſbertum verò inde natum anno 507. ſequenti Deotharium, ſeu anno 508. poſteriori demùm id eſt anno 509. Firminum: At Vita Firmini ab eodem Dubouchetо edita, tradit hunc ad Roricium iam duodecimum annum agentem contendiſſe, ac itineris habuiſſe ſocium,

Digitized by Google

Ferreolum nepotem iam ſeptennem: quâ ratione eorum ad Roricium peregrinatio ad annum 520. erit referenda: Quod ſi verum ſit, tunc Ferreolum ſeptimum annum egiſſe, ſequitur eum fuiſſe natum anno 514. ac proinde, cùm is eſſet ſecundus ex Anſberti liberis, nuptias parentis non ante annum 511. aut 512. fuiſſe celebratas, quâ tempeſtate Anſbertus quintum agebat annum, veluti natus anno 507.

Qui Firmini actis vti ſunt ab erudito viro edita, mordicùs inhærebit, in hos profectò ſcopulos incurret: Verùm non hæc ille protulit, vt temporum rationem iniret, ſed vt agnationem, quæ inter Firminum, & Ferreolum Epiſcopos Vcecienſes intercedebat, confirmaret; indéque Ferreolum Anſberti patrem per conſequentias demonſtraret. Et quamuis falſa ſit eorum narratio in temporum calculo, non ideò tamen in genealogico ſtemmate delineando, eiuſdem momenti cenſenda eſt, cùm ex aliis fide dignis auctoribus conſtet Firminum, & Anſbertum fratres fuiſſe, Ferreolum verò Anſberti filium, ac per conſequens Firmini ex fratre nepotem. Si errata quæ circa Chronologiam apud ſcriptores minùs cautos irrepere ſolent, rem de qua agunt ſuſpectam facerent, iam de Chriſto paſſo dubitabitur, cùm de eius mortis tempore apud auctores non conſtet; eadem ratione negabimus Romam, Romulo ſua debere initia, quia in tempore quo eius prima iacta fuere funda-

Digitized by Google

menta, variæ ſunt auctorum ſententiæ. Iam nullius ponderis Gregorius Turonenſis, qui tam grauiter in Beati Martini obitu deſignando peccauit, qui ſtatim à morte Clodouei, eiúſque ditionum inter filios inita partitione Clothildem Amalrico Gothorum Regi in matrimonium traditam inſinuat; quod tamen non minùs ridiculum videtur, quàm quod ex Vita B. Firmini colligit Faber, Anſbertum ſcilicet quinque annos natum, Blithildem vxorem duxiſſe; cùm certum ſit Clothildem, & Amalricum tunc pueros extitiſſe, eáque de cauſa Theodoricum Oſtrogothorum Regem tutorio nomine Regnum nepotis adminiſtraſſe, vt teſtes ſunt Procopius, & Iornandes, quod ex eo etiam ſatis deprehenditur, quòd Concilium Tarracone habitum anno 516. ac Synodus anno ſequenti Gerundæ coacta, non Amalrici, ſed Theodorici annis ſubnotentur, vt optimè aduertit clariſſimus vir Hadrianus Valeſius. In Geſtis veterum Francor.

His igitur caſibus purgandus error, vel præſumptione, aut alio quodam obuio charactere: At in præſenti dubio commodùm ſe offert vetus Vita Ferreoli Vcecienſis, non illa quidem à Dubouchero edita, ſed antiquior alia è codice Collegij Fuxenſis Tholoſæ deſcripta, cuius ſic initium conceptum eſt: *Incipit Vita B. Ferreoli Epiſcopi Confeſſoris* II. *Non. Ianuarii. Ferreolus vir Domini, confeſſórque Beatiſſimus poſt tranſitum S. Firmini Pontificatum tenuit annis* XX. *&* VIII. *confluebátque ad eum populi mul-*

titudo prædicationem eius audire cupientes. Eius obitum aſſignat Gregorius Turonenſis anno ſexto
Pag. 97. Regni Childeberti, quem Faber ad annum 588. protrahit, ſed licèt falſa ſit hæc annotatio, nulla tamen erudito viro fiet iniuria, ſi eadem vtimur, vt ex ipſius calculo Chronologiam reſtituamus. Obiit igitur ex Fabri mente Ferreolus anno 588. ſedit per viginti & octo annos, cœpit ergo huius Pontificatus initium anno 560. Ponamus modò ne legibus Eccleſiaſticis vis fiat, vt in Firmino arguit, triginta tunc annos natum; prodiit igitur in lucem anno 530. Fuit Arnoaldus frater eius primogenitus, fingamus natum anno ſuperiori, eodémque quo Anſberti cum Blithilde nuptiæ contractæ ſunt, anno ſcilicet 529. quâ tempeſtate ſi cum Fabro dixerimus Anſbertum anno 507. natum, iam annum attigerat viceſimum ſecundum. Sit Blithildis tunc ſexdecim annos nata, edita ergo anno 513. Ipſius pater Clotarius, ex eiuſdem Fabri calculo naſcitur anno 497. dum genuit igitur Blithildem natus erat annos ſex ſupra decem, eáque ratione in Anſberti eiúſque filiorum natalitiis diebus, naturæ ordo minimè violatur.

Attamen quia Faber falſò Ferreoli mortem ad
Pag. 97. annum 588. protraxit, quem vltra 582. ſine errore aſſignari poſſe manifeſtum eſt, meliorem calculum pertractabimus. Ponamus ergo cum Dubouchèto Clodouei filiam Ferreolo nuptum datam anno 505. ante ſcilicet Gothicum bellum, nihil eſt

quod pugnet, quia ſi verum ſit Induſtriam, vel Deutriam, Theodorici I. germanam fuiſſe ſororem, eius natales ad annum 488. referre poſſumus, qua ratione dum Ferreolo III. nupſit, annum agebat decimum octauum. Aſſignemus modò ortum Anſberti, qui primus ex hoc coniugio prodiit ann. 507. quo fuſus à Clodoueo Alaricus. Moritur haud dubio Clodoueus ann. 511. poſtquam annis triginta Francis imperaſſet, vnde ſequitur regni eius initia ab anno 481. non verò 482. vt plures volunt, eſſe repetenda. Anno regni decimo expeditionem mouit in Thoringios id eſt anno 491. *Anno inſecuto*, vt loquitur auctor, qui Geſta Francorum deſcripſit, Clothildi Burgundæ nupſit, anno ſcilicet 492. Potuit hoc ipſo parere Ingomerem, ſequenti ſeu 493. Clodomerum, altero id eſt 494. Childebertum, quarto qui eſt annus 495. Clotarium. Nihil obſtat quin anno 510. Blithildis pater fuerit, quia iam ille quindecim annos natus, ac præterea ſalacis admodum naturæ.

Nunc retrorſa ſerie, temporum rationem ineamus: Obiit ſecundùm Gregorium Turonenſem Ferreolus Epiſcopus Vcecienſis anno ſexto Childeberti Regis, id eſt anno 582. nec enim vltra eius obitus dies protrahi poſſunt, quia cùm Marius Auenticenſis referat Sigeberti necem contigiſſe *Anno* x. *Conſulatus Iuſtini iunioris Aug. indictione* IX. quæ incidit in annum 576. ſequitur Childeberti eius ſucceſſoris ſextum, ad annum 582. eſſe referen- In Chron.

Digitized by Google

dum. Sedit Ferreolus ex eius Vitæ actis, viginti & octo; cœpit igitur ſedes eius anno 555. quo defunctus Firminus poſt Concilium Pariſienſe II. cui ſubſcripſit. Demus Fabro Ferreolum triginta tunc annos natum vt ſit Epiſcopus, quamuis non ſemper in Epiſcoporum ordinationibus ſtatuta hæc ſemper tempora ſeruata, vt ſuprà probauimus, editus erit anno 525. qua ratione Blithildis eius matris cum Anſberto nuptiæ anno ſuperiori, ſcilicet 524. aſſignari poſſunt, eodémque anno Arnoaldi fratris Ferreoli maioris natu, mater cenſeri, iam enim illa nubilis, & quatuordecim annorum, veluti anno 510. nata; Anſbertus verò octauum ſupra decimum annum attigerat.

His ita poſitis Firmini acta proſequamur, & cùm exemplo non careat nonnullos Epiſcopos anno ætatis viceſimo primo fuiſſe conſecratos, dicamus Firminum anno 519. natum, Roricio verò in Vcecienſi Cathedra ſuffectum anno 540. quo Roricius defunctus eſt iam octogenarius, ſi hunc anno 458. in lucem editum poſuerimus, quod nihil vetat, eius enim patrem adhuc in viuis fuiſſe anno 456. notat Dubouchetus, ipſius verò vitæ acta hunc ad Firminum fratrem Arelatem ſe contuliſſe antequam ab Euarige obſideretur, quod anno circiter 475. contigiſſe, non reuocatur in dubium, iiſque diebus Roricius annum attigerat decimum octauum. Si Ferreolus Epiſcopus anno 525. natus eſt, vt ſuprà poſuimus, anno 532. Firminus

nus eius patruus duodecimum tunc compleuerat annum veluti anno 519. editus, Ferreolus verò ſeptimum, quâ tempeſtate ad Roricium ſe contuliſſe non erit impoſſibile, cùm huiuſmodi ſeceſſus plura in Sanctorum actis occurrant exempla. Dices forſan Firmini vitam eius ſedis ſpatium per quadraginta & ſex annos protraxiſſe. Facilè irrepſit mendum; nam cùm literis chronicis per XVI. annos, qui ab anno 540. vſque ad 555. quo poſt Concilium Pariſienſe II. deceſſit Firminus continuò decurrunt, Sanctum Præſulem Epiſcopatum tenuiſſe ſcripſiſſet is auctor, inter denarium numerum X. & quinarium V. quinquagenarius L. ab imperitis amanuenſibus adiectus eſt; idque in propoſito caſu faciliùs eueniſſe mihi ſuadeo, quo infinitis propè exemplis idem alibi contigiſſe poſſem comprobare, cæterique chronici numeri quos pertractauimus, à veriſimilitudine rei geſtæ non diſcrepent. Quòd ſi Fabro tenera hæc Firmini ætas non arrideat, aſſignet eius ortum anno 509. duobus annis poſt Anſberti natalem, tunc cùm ad Epiſcopatum promouebitur anno 540. tricennis erit, nec in eius ordinatione læſos canones proclamabit.

Vi le Boland. dum 2. Ianuar. in Vit. Maximi.

Vt vt calculum ſubducat Faber, fuit Blithildis Clotarij I. filia, & hæc forſitan illa eſt, de qua non expreſſo eius nomine, meminit Vita ſanctæ Conſortiæ, quámque Clotarij Regis filiam tradit, & in aula Sigeberti Auſtraſiorum Regis enutritam,

Tom 1. Collect. hiſt. Franc.

nam cùm auctor libelli de Maioribus domus Anſbertum inter Auſtraſios Maiores domus collocet, non leuis eſt coniectura hanc eius eſſe vxorem, quæ in aula Sigeberti fuerit aſſidua. Cæterùm vetus auctor ineditus, qui Francorum geſta epitomata ad Pipini obitum perduxit, os præcludit omnibus Blithildis aduerſariis, dum Pipinum ait à Francis Regem ſalutatum, *Ne conturbaretur ordo Regalis, quia erat de Sanguine* REGALI *Francorum.* Huic ſuffragatur Petrus Bibliothecarius dum non aliam inaugurationis Pipini cauſam profert, quàm quòd ex Merouingiorum gente eſſet oriundus. Sic enim habet: *Anno* DCCLV. *Pipinus Legatos Romam miſit ad Zachariam Pontificem Maximum, vt qui ex antiqua Merouingiorum ſtirpe fuerit regnaret in Gallia: Exaudit Pontifex, & mandat Gallis, vt in eorum Regem haberent Pipinum.* Eiuſdem ſententiæ vetus Charta S. Arnulfi Metenſis de Pipini auo ſic verba faciens: *Sub Maioris domus nomine Francorum adminiſtrabat Principatum Regalem, ſcientia quippe, atque fortitudine Regum degenerante diſpoſitio fuit Altiſsimi, præclaræ huic progeniei, quæ ex eadem radice proceſſerat, dare inſignia Francorum Regni.* Hincmarus quoque Remenſis Epiſcopus Metis populum alloquens in ſolemni Caroli Calui inauguratione poſt Lotharij mortem peracta, Carolum ideo maximè præficiendum aſſerit: *Quia ſanctæ memoriæ pater ſuus Domnus Hludouicus Pius Imperator Auguſtus, ex progenie Hludouici Regis Francorum inclyti, per Beati Remigii Fran-*

Digitized by Google

corum Apoſtoli Catholicam prædicationem cum integra gente conuerſi, &c. Exortus per Beatum Arnulfum, cuius carne idem Hludouicus Pius Auguſtus, originem duxit carnis. Doceat nos amabo vir eruditus qua ſerie Pipinus & Ludouicus Pius ex genere Merouingiorum exorti, niſi per Blithildem, aut Clodouei filiam Anſberti matrem; cùm aliam nobis aſſignauerit cognationem, Anſbertum, & Blithildem inter vmbras, & laruas amandabimus, tótque illuſtres doctrinâ viros, qui de his ſcripſere; cæcitatis arguemus: Nec eius ſententiæ prodeſt clariſſimi Viri opinio, qui filias primæ Regum ſtirpis non niſi Regibus nuptas putat; nam quâ ratione Scariberdam Clodouei neptem Arnulfo Comiti Remorum elocatam neget, aut Chrodoaldum Theodeberti Regis amitæ maritum, contra Ionæ abbatis, & auctoris Vitæ ſancti Arnulfi Remorum Comitis ſententiam, non capio, eóque potiſſimùm quòd Valdetradam Theodebaldi Regis viduam, Gariualdo Baioariorum Duci à Clotario I. in matrimonium datam non diffiteatur, nec minùs indecorum ſit relictam Regis impari nubere, quàm filiam.

Geſta vet. Franc. pag. 465.

CAPVT XI.

In Nuptiis ANSBERTI *cum* BLITHILDE *graduum conſanguinitatis ratio non obiicienda.*

Cap. 14. pag. 183. & ſeqq.

INFRACTAM clamat iterùm Faber Canonum diſciplinam, in eo quòd Anſbertus Blithildem Clotarij I. filiam, vxorem duxerit, quia ſi verum ſit Anſbertum Ferreolo, & Clodouei filia natum, Ansbertus, & Blithildis conſobrini ſunt, ac proinde inter gradus in nuptiis prohibitos conſtituti.

Verùm ſi attentè perſpexiſſet, quâ facilitate hoc ſæculo matrimonia contraherentur, non tam acriter in ea inueheretur: Nota quippe omnibus Arcadij & Honorij conſtitutio, quâ nuptiæ inter fratrum filios initæ, legitimæ cenſentur, quia ſcilicet alter, in alterum parentis vicem repræſentare non poteſt, ac præterea in quarto agnationis gradu poſiti ſunt: Quoto enim gradu diſtant collaterales à communi ſtipite, eodem duplicato diſtant inter ſe; at filij fratrum ſecundùm ciuilem hanc numerandi rationem, duobus gradibus diſtant ab auo, & per conſequens iiſdem duplicatis in quarto reperiuntur. Has nuptias in Oriente vſque ad ſextam

Can. 54.

Synodum perduraſſe certiſſimum eſt, vbi primùm inter conſobrinos prohibita coniugia, licèt numerandorum graduum ratio à iure ciuili inducta nullatenus imminuta fuerit, vt conſtat ex Matthæo Monacho de cauſis matrimonialibus: In Occidente verò licèt eodem calculo Eccleſia Romana vſa ſit, vſque ad tempora Gregorij I. vel etiam Zachariæ Pontificis, eáque coniugia palam non damnarit quaſi legi diuinæ minimè aduerſaria, vt ingenuè fatetur B. Auguſtinus, minùs tamen erant celebrata *propter vicinitatem illiciti inter fratres coniugii*, & dum ſe ſimilis caſus offerebat, licèt nuptiæ vitio carerent, Romanum Pontificem ad maiorem cautelam primi conſuluere præſules Italici, vt colligere licet ex Ennodij Ticinenſis Epiſtolis: *Diuinis*, inquit, *legibus cognationem indiculo comprehenſam, in matrimonio licere ſociari, ſine dubitatione noueritis, ſed continuò ad Vrbem Romam homines meos dirigo, exacturus à Venerabili Papa ſuper hoc reſponſum, vt animum veſtrum potioris præcepti firmet auctoritas.* Can. quædam 35. q. 5. Epiſt. 14. l. 5.

Eccleſia tamen Gallicana cùm inter conſobrinos nuptias inhibuit Agathenſi Concilio, conſanguinitatis cauſam ſolius Epiſcopi proprij cognitioni reſeruauit, vt videre licet ex Synodis Aurelianenſi III. & Liptinenſi, ipſiſque Regum conſtitutionibus, vt patet ex ſupplemento à Childeberto Rege ſalicæ legi adiecto. Et quamuis Patrum decretis huiuſmodi coniunctiones ſi quæ forent, ſtatim dirimi ſancitum eſſet, non eas tamen dirime- Can. 10. Can. 5.

Digitized by Google

bant, quæ in quarto gradu, ſeu vt Canon 1. Concilij Vermeriæ ſub Stephano II. coacti, loquitur, *quarto genu contractæ probarentur*: At eâ tempeſtate in Occidente adhuc pleriſque in locis ciuilis numerandorum agnationis graduum, ratio non erat immutata: Nam licèt Gregorius I. ac deinde Zacharias plura edidiſſent decreta, vt ex *duobus legalibus gradibus, vnum efficerent canonicum*, vt loquitur Alexander III. eorum tamen conſtitutiones, non vbique receptas, Alexandri II. reſcripta, & Petri Damiani ſuper ea re tractatus, ſatis ſupérque declarant. Quinetiam vt nuptiarum inter conſobrinos vſus omnimodò abrogaretur, nec liceret, niſi ſeptimo gradu coniunctis, inter ſe matrimonium inire, opus fuit definitione Concilij Romani, ſub Gregorio II. celebrati, cuius aſperitatem temperauit deinde Innocentius III. probatis extra quartum conſanguinitatis gradum nuptiis.

Can. *parentela* 35. q. 4. & ſeqq.

Can. *ad ſedem* ib.

Cap. *non debet* ext. de conſang.

Cùm igitur inter fratrum filios nuptiæ legi diuinæ non aduerſarentur, nec contractas in quarto gradu dirimerent Epiſcopi, quibus hæc cauſa Patrum decretis attributa, mirari non debet Faber Anſbertum Blithildi nupſiſſe, cùm intra licitos lege diuinâ coniunctionis gradus ſint conſtituti, ac præterea probare non poſſit, in eorum nuptiis Epiſcoporum aſſenſum non interceſſiſſe.

Quòd ſi coniugiorum in tanta huiuſce tempeſtatis morum licentia contractorum exempla ſunt inueſtiganda, nónne Clotarius I. Blithildis pater,

Digitized by Google

Gunduicam Clodomiris fratris relictam ſibi matrimonio copulauit? nónne Charibertus eius filius geminas ſorores Meroſledam & Marcouefam? inhęrebat quippe adhuc illa procacitas ex veteri Germanorum vſu, *qui non libidine, ſed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiebantur.* Tacit. de morib. Germanor. Adhibet quidem Faber differentiam inter gradus conſanguinitatis, & affinitatis; hanc plerumque Reges violaſſe, illam verò nuſquam. Pag. 185. Sed quamuis nulli ſint affinitatis *gradus*, quia ex affinibus affines non generantur, *genus* tamen conſtituunt, vt conſtat ex *cap. 1. ext. de conſanguinitate.* At in hoc primo genere occurrit vxoris ſoror, & vidua fratris, quas in noua lege, nec fratri, nec ſororio vxores ducere licitum fuit: Vnde in Conciliis Agathenſi, & Epaonenſi hæ coniunctiones diſtrictiùs inhibentur. Can. 61. Can. 30. Præſules nihilominus Gallicani hoc in decretis ſuis temperamentum adhibent, vt ſi iam hæc coniugia fuerint celebrata, nouâ hac lege non dirimerentur: Sic enim conceptus eſt canon: *Quod vt à præſenti tempore prohibemus, ita & ea quæ ſunt anteriùs inſtituta non ſoluimus.* Ex quo forſan Charibertus licèt à Germano Pariſienſi Epiſcopo anathemate percuſſus, Marcouefam prioris vxoris ſororem nuſquam dimittere voluit, cùm hoc Concilij Epaonenſis decretum, Concilio IV. Aurelianenſi, & Turonenſi II. ſexto eius Regni anno coacto, fuiſſet confirmatum. Can. 17. Can. 21.

Cùm igitur ſtrictior ſit Canonum prohibitio in primo affinitatis genere, quàm in quarto conſan-

guinitatis, maior certè fuit Clotarij licentia, dum relictam fratris vxorem duxit, quàm cùm Anſbertus conſobrinam. At ſi ſæculi, quo vixit Clotarius, corruptela nuptiis eius tribuit auctoritatem, multo certè magis Anſberti cum Blithilde coniugio, eòque potiſſimùm, quòd inter filios fratrum initæ huiuſmodi coniunctiones non dirimerentur, nec legi diuinæ vllatenus repugnarent.

CAPVT XII.

De FERREOLO *Epiſcopo Vcetienſi*, ANSBERTI *filio.*

PVRGATA Blithildis, & Anſberti famâ, leui negotio iniuriam, quam eorum liberis Faber inferre tentat, eluemus, cùm quotquot ſunt, qui à Pipino & Carolo Magno ad hæc vſque tempora de Anſberti ſobole ſcripſere, quatuor ipſi liberos aſſignent, Arnoaldum ſcilicet, Ferreolum, Modericum, & Tarſitiam. Poſtularet quidem genealogici ſtemmatis ſeries, vt Arnoaldum veluti maiorem natu, cæteris anteponeremus, ſed quia genus ipſe ſuum tranſmiſit ad poſteros, de reliquis eius fratribus qui ſine ſobole deceſſere priùs agemus, vt deinde vno tenore Arnoaldi manes, eiúſque filij Arnulfi, quem Patritio Mummolo natum ſuſpicatur Faber, vindicemus.

Vt

Vt ergo Ferreolum Anſberti filium inficietur, arguit auctorem Vitæ Beati Firmini, quòd continuâ ſerie, velut hæreditariâ Ferreolum Firmino nepoti ſubſtituat, & vt hæc cœlitus procedere videatur, exeat Angelus velut in ſcena proloquuturus, qui Firminum de hac ſucceſſione, veluti ſuperis grata commoneat, eóque figmento non diuino ſpiritu, ſed affectu ſanguinis incitata cupiditas adumbretur. Pag. 67. & 195.

Sic de ſanctis quos quotidie veneratur Eccleſia loquitur vir religioſus, ſed ſi huiuſmodi ſucceſſionem improbat in Ferreolo, cur non & in Roricio Lemouicenſi, quem patruo ſucceſſiſſe animaduertit? Nec enim conſtitutio quæ vetat, ne ſanctuarium Domini hæreditario iure poſſideatur, de ſubrogatione nepotis in locum patrui, accipitur, ſed de filiis Preſbyterorum ante ſacerdotium ſuſceptis, quam tamen pluribus in locis minimè receptam certiſſimum eſt, vt apud Armenios, penes quos ſacerdotium, ſicut & apud Iudæos quibuſdam familiis proprium erat. Sic apud Epheſios Polycrates Epiſcopus Victori Pontifici reſcribens, ait ſe octauum eſſe ex ſua gente, qui eidem Eccleſiæ præfuerit. In Gallia verò huiuſce ſucceſſionis vſum frequentiſſimum fuiſſe ex hiſtoriæ certa fide deprehendi poteſt. Auitus enim Viennenſis Epiſcopus Iſicio patri ſucceſſit, ita Simplicius Bituricenſis, Eulodio parenti, ac ſocero Palladio, vt conſtat ex Sidonio. Ita Lupus in Sueſſionenſi Can. Apoſtolica 8. q. 1. Niceph. l. 4. c. 37. Ado in Chron. Lib. 7. ep. 9.

Fledoard. c.10. & 14. Cathedra patri Principio, S. Remigij germano, & in Laudunenſi Latro poſt Genebaudum patrem. Non ergo contra diſciplinam Eccleſiaſticam nepos patruo ſucceſſit, cùm non etiam filiorum ante ſacerdotium prognatorum, poſt patrem ſucceſſione dudum violaretur; Nec opus erat vt poſt Firminum Ferreolus eius locum canonicè obtineret, Angelus de cælo miſſus, vt ſibi ſuaſit Faber, Firmino de ſucceſſore anxio, Ferreolum indicaret. In huiuſmodi narrationibus libera eſt vnicuique fides, ſed ea profectò non deſpicienda, quæ alio poſſunt teſtimonio ſuſtentari; & quæſo reſpondeat Faber an dialogus ex Gregorij Turonenſis relatione inter duos ſenes venerandos admodùm nocte quadam in Baſilica S. Petri Romæ cuidam pauperi obuios, ac mutuò ſeſe conſalutantes, de Aëtij dum in Galliis contra Attilam pugnaret incolumitate ſollicitos, initus, melioris notæ ſit, quàm ille de quo Vita S. Firmini. Eadem certè vtriuſque ratio, mens ſcilicet creduli, ſed vt illa non valet efficere quin Aëtius contra Attilam in Galliis acriter dimicauerit, ſic nec iſta quin Ferreolus Anſberti filius fuerit, Firmini nepos, ac poſt ipſum Epiſcopus Vceçienſis.

Lib. 1. c. 7.

Pag. 68. & 193. Vt in hac ſucceſſione vitium notat Faber, ita & in eius ordinatione, dum Firminus iam iam vitam exhalaturus, iubet illum ab Epiſcopis Arelatenſi, Arauſicano, & Auenionenſi conſecrari, quod canonicis repugnat conſtitutionibus, cùm Vce-

cienſis Epiſcopus, non Arelatenſi, ſed Narbonenſi Metropolitæ ſecundùm veteres Prouinciarum notitias ſit attributus. Attamen ſi rei geſtæ tempus expendiſſet, ereptam ſcilicet Gothis Vceciam, quáve ratione Eccleſiaſtica diſciplina ciuilem Prouinciarum normam ex auctoritate Principum ſequuta ſit, peractam ab his præſulibus Ferreoli ordinationem legitimam putaret: Nam vt à Clodoueo Tholoſa eâdem expeditione Francorum imperio adiecta, non Narbonenſem quæ adhuc ſub Gothorum Dominio remanſit, ſed Bituricenſem metropolim agnouit, ſic Vcetia non Narbonenſi, ſed Arelatenſi vti viciniori, ac iam Francis ab anno 536. addictæ, paruit; idque apertè inſinuat Gregorius Turonenſis. Aſſerit enim defuncto Ferreolo Vcecienſi Albinum extra Regis conſilium Dynamij ſtudio in eius locum fuiſſe ſubrogatum: At Dynamius rector erat Prouinciæ, quæ in Sigeberti Regno cenſebatur, vt ex eodem Gregorio conſtat, dum in adminiſtratione Prouinciæ Albinum in locum Iouini ſubrogatum narrat, Sigeberto verò ſucceſſerat Childebertus, qui poſt Albini tribus tantùm menſibus Epiſcopatu Vcecienſi functi, deceſſum, Iouinum Regio præcepto ſucceſſorem ei deſignauerat, contra quem Marcellus Fœlicis Senatoris filius inſurrexit, *qui conuocatis comprouincialibus per conſilium Dynamii Epiſcopus* Vcecienſis *ordinatus eſt*: Ab Epiſcopis ſcilicet Prouinciæ, cui præerat Dynamius, ac per conſequens à Vien-

Lib. 6. c. 7.

Lib. 4. c. 38.

nenſibus, in Childeberti regno conſtitutis.

Non ergo prouinciarum ordinem turbauit Firminus, dum Ferreolum nepotem ſuum ab Arelatenſi, Auenionenſi, & Arauſicano Epiſcopis conſecrandum cenſuit. Quòd ſi non hac Faber vincitur ratiocinatione, negare certè non poteſt tunc temporis Arelatenſi Epiſcopo Romanos Pontifices per Gallias vices ſuas demandaſſe, ac per conſequens ordinandorum vbique per hunc tractum Præſulum auctoritatem, quam olim Viennenſi, & vtrâque Narbonenſi Zoſimus epiſtolâ ſuâ circumſcripſerat; id teſtatur Vigilij Papæ decretum ad Auxanium Arelatenſem Epiſcopum datum anno 545. quam deinde gratiam in Sapaudo renouauit Pelagius anno 557. vt ipſius Pelagij ad Childebertum Regem docet epiſtola: At inter hæc ſpatia anno ſcilicet 555. Firminum deceſſiſſe fusè ſuprà demonſtrauimus.

Tom. 1. Concil. pag. 271. & 308.

Eâdem profectò leuitate genus mortis, quo Ferreolum vita functum referunt auctores genealogiæ S. Arnulfi, improbat Faber, eíque martyrij palmam adimit, quam alij tribuunt: Ait enim Gregorium Turonenſem illius in pace obitum anno ſexto Childeberti Regis annotaſſe, cui nec repugnant acta, cùm à Dubouccheto edita, tum à nobis ad calcem operis proferenda, in quibus placidus tanti præſulis tranſitus deſcribitur, tributo ipſi *Confeſſoris*, non Martyris titulo. Referunt tamen vtraque acta hunc in exilium fuiſſe amanda-

Pag. 188. & 196.

Digitized by Google

tum, indéque ſine dubio factum vt *Martyr* fuerit appellatus, *cùm non Martyrem pœna faciat, ſed cauſa.* Hanc verò docet nos vita eiuſdem Ferreoli ex codice Bibliothecæ Collegij Fuxenſis Tholoſæ deſumpta, in qua Sanctus vir ciuitate ſua exul per tres annos Childeberti Regis iuſſu Pariſiis degiſſe dicitur, eò quòd fides eius ſuſpecta fuerit ob aſſiduum nimis cum Iudæis conſortium, quamuis non alius ipſius eſſet animus, quàm deuiam gentem ad Chriſti cultum reuocare. Quare cùm tandem Regi, mentis eius candor innotuiſſet, gregi ſuo reſtituitur, ac mox Synodo apud S. Theodoricum Vceciæ conuocatâ, præcipit Iudæos omnes vel baptiſari, aut ciuitate diſcedere. Habes apud Gregorium Turonenſem ſimilem ſub eodem Childeberto Rege Auiti Aruernorum Epiſcopi ſanctionem: Inde igitur euenit, vt cùm religionis Chriſtianæ propagandæ zelo Ferreolus Pariſios relegatus fuerit, *Martyr* à quibuſdam auctoribus nuncupetur, rectiùs ab aliis *Confeſſor*; nam ita Fœlix Nolanus quia paſſis pro Chriſti fide tormentis ſuperſtes fuit, tranquillámque vitam obiit, in Vſuardi Martyrologio, & alibi *Confeſſor* dicitur, & in Concilio Toletan. IV. S. Leocadia, quæ non ferro, aut igne ſed carceris ſquallore, & fame periit, *Confeſſor* appellatur, licèt etiam *Martyris* nomen ei conueniat; ſicut & *Martyr* quandoque dicitur, qui nec pro Chriſti confeſſione vitam amiſit, vt Anchiſes Arnulfi filius, quem non *infimum Mar-*

Lib.6.c.16. *tyrem* vocat Paulus Diaconus, licèt in venatione à Godino fuerit confoſſus.

CAPVT XIII.

De MVNDERICO *Ariſitenſi Epiſcopo, eiúſque ſorore* TARSITIA.

QVI Ferreolo fauent auctores, iidem Munderico ſuffragantur, ſed non ſatis fuit Fabro hunc Anſberti filium negare, niſi etiam illum Epi- Pag 109. & ſeqq. ſcopum Ariſitenſem fuiſſe inficiaretur, contra fidem omnium ſcri- Pag. 111. ptorum, qui de eo mentionem fecere. Vim facit vir eruditus in verbis Gregorij Turonenſis, dum ait Mundericum ægrotante Tetrico Lingonenſi ſuc- Lib.5.c.5. ceſſorem eâ lege deſignatum, ordinatúmque *ſub hac ſpecie, vt dum Beatus Tetricus viueret, hic Tornodorenſe Caſtrum, vt Archipresbyter regeret, atque in eo commoraretur, migrante verò deceſſore, iſte ſuccederet.* Ex quibus colligit eumdem Gregorium, dum ait Mundericum ad Sigeberti regnum profugum, *apud Ariſitenſem vicum* Epiſcopum fuiſſe inſtitutum, indicare ſatis non in illius gratiam nouam excitatam ſedem à Ruthenenſi auulſam, ſed Ariſitenſem vicum ipſi attributum, ne vileſceret Epiſcopi nomen, non ſecùs ac olim Tornodorenſe obtinuerat antequam Guntramni potentiam metuens ad Si-

Digitized by Google

geberti regnum tranſiret. Similis ergo fuit Epiſcopis à Nouatiano ſchiſmate redeuntibus, quibus Synodi Nicænæ decreto retentâ Epiſcopi dignitate, ſub nomine Chorepiſcopi locus quidam regendus aſſignabatur; vel iis de quibus in Concilio Antiocheno, qui ordinati ob contumaciam populi, ad parœciam ſuam non accedebant, ideóque ipſis in aliena Eccleſia honoris, & miniſterij communio permittebatur. Can. 8. Can. 18.

Vtroque autem caſu hi Epiſcopi ſuberant Epiſcopo Ciuitatis, nec præter eius conſilium quidquam peragere poterant, vt conſtat ex Synodo Laodicena, & Antiochena iam laudata; propria ſiquidem carebant parœcia, & his decedentibus ſucceſſore, perinde ac illi, qui ſuperſtitibus adhuc Epiſcopis ſucceſſores deſignabantur; vt videre licet apud eumdem Gregorium Turonenſem, cùm de Auſtrapio verba facit, qui *apud Sellenſe caſtrum* in Pictonibus, Epiſcopus ordinatus fuit, *futurum vt decedente Pientio Antiſtite, qui tunc Pictauam regebat Eccleſiam ipſe ſuccederet*: Attamen nec is Pientio ſucceſſit obnitente Chariberto Rege, & cùm deceſſit *Diœceſes ſuas Eccleſia Pictaua recepit.* Lib. 4. c. 18.

At Mundericum ſtatam ac propriam habuiſſe ſedem ex eodem Gregorio colligitur, dum ait hunc ſub ſe quindecim plus minus Diœceſes habuiſſe, *quas primùm Gothi quidam tenuerant*, peculiari ſcilicet ſedis nomine his quindecim parœciis conflatæ. Nec enim notam ſingularem adieciſſet Gre-

gorius, cùm non hunc modò tractum ante prœlium Vocladenſe occupaſſent Gothi, ſed poſt etiam Clodouei mortem, vt ſuprà vidimus, adeò vt colligere liceat Mundericum non fuiſſe primum Epiſcopum Ariſitenſem, ſed Gothis quibuſdam ſucceſſiſſe, quâ denotatione non obſcurè indicat Gregorius Turonenſis Aigulfum, & Deotarium; hunc quòd fratris donatione vicum Ariſitenſem accepiſſet, illum quòd à fratre illic Epiſcopus fuiſſet inſtitutus. Hos autem ideo Gothos vocat præſul Turonicus, quòd Narbonenſis prouincia, cui ſuos natales debebant, hâc tempeſtate *Gothia* diceretur; ipſe enim Sigilam poſt Sigeberti necem à Chilperico cauteriis ardentibus laceratum è *Gothia* veniſſe refert, Narbonenſi ſcilicet patriâ ſic nuncupatâ, vt conſtat ex Vita S. Vincentiani Confeſſoris ab Eremberto Diacono anno 664. deſcripta, in qua hæc verba leguntur: *Partibus Gothiæ ſuper Rhodanum*, ideóque in veteri Chronologia Regum Gothorum à Ducheſnio edita, *Gothia Gallica*, ab Hiſpaniis diſtinguitur: cui ſuffragatur Fredegarius in Chronico iuſſu Childebrandi delineato, qui in *Regione Gothica* Agathem, Biterrim, & Nemauſum conſtituit; ac paulo pòſt de Pipini inter filios Prouinciarum partitione agens, Carlomanno *Burgundiam, Prouinciam, Gothiam, Alexacim*, & *Alemanniam* obueniſſe narrat. Apertiùs Rodericus Toletanus Hiſpanicæ Hiſtoriæ lib. 3. cap. 20. Galliam Gothicam definit: *Gallia*

Tom. 1. pag. 818.

Gallia Gothica, inquit, *id eſt Narbonenſis Prouincia, cum Ruthena, Alba, & Viuario Ciuitatibus, quæ Gothorum tempore ad Narbonenſem Prouinciam pertinebant.* Gothos igitur vocat Gregorius, ratione ſoli in quo nati ſunt, Aigulfum, & Deotarium; licèt ex Romanis, ſeu veteribus Gallis originem ducerent. Deotario Mundericum eius nepotem ſucceſſiſſe docent Chartæ ſuprà capite 6. laudatæ; poſt Munderici verò deceſſum, contendit quidem Dalmatius attributas ipſi parœcias, iterùm Ruthenenſi pedo, vti ab eo primitùs diſtractas, conſolidari, ſed fruſtra, id enim ſonat verbum *vindicabat*, quo vtitur Gregorius, non vt explicat Faber, *poſſidebat;* nemo enim vindicat, quod poſſidet, cùm poſſeſſio ſit finis vindicationis.

Pag. 111. & 200. Sic pag. 1. vt indicaret Chiffletium Vindicias Lotharingicas, & Hiſpanicas cõſcripſiſſe dixit Gallicè, *qu'il s'eſt diuoüé aux vengeances des Lorrains & des Eſpagnols*, quaſi eadem eſſet *Vindiciarũ* & *vindictæ* ſignificatio, quam etiam vt video non caperet ſi de *manum iſſo vindictâ* ageretur.

Hæs autem procul dubio vindicabat, exemplo ductus Leonis Epiſcopi Senonenſis, qui dum Childebertus Melodunum ciuitatis honore decorandum meditabatur, ſedem ibi aſſignandam negabat, veluti eius Diœceſi attributam: Aut Pappoli Carnotenſis, qui Caſtrodunum Eccleſiæ ſuæ eadem ratione aſſerebat. Sed non eadem fuit Dalmatij, quæ cæterorum cauſa, hunc enim anno 583. deceſſiſſe, eique ſucceſſiſſe Theodoſium manifeſtum eſt, at Concilio Remenſi ſub Sonnatio anno 630. coacto, interfuit *Emmo Ariſitenſis Epiſcopus*, cum Sulpitio Bituricenſi, & Vero Epiſcopo Rutenenſi Theodoſio ſuffecto, quorum maximè intererat, ſi non legitima fuiſſet huius Epiſcopatus inſti-

tutio, Emmonem Epiſcopi munia non obire, in hoc celeberrimo præſertim Gallicanorũ Præſulum Conuentu, qui in ſimili controuerſia, in cauſa ſcilicet Pappoli Carnotenſis, Pariſiis congregati, contra Promotum Caſtroduni iam conſtitutum Epiſcopum acriter inſurrexerant, eo ipſo ferè tempore, quo Deotarius ſub eodem Sigeberto Rege Epiſcopatus Caſtroduni auctore, Ariſitenſis Epiſcopus ab Aigulfo fratre fuit conſecratus; vnde idem Promotus quia iam Epiſcopus fuerat ordinatus, adfuit quidem Concilio Matiſconenſi II. ſed inter Epiſcopos ſine ſede. At Emmonis ſedes apertè deſignatur in Concilio Remenſi, cui præfuit Arnulfus Metenſis, in cuius conſpectu Verus Rutenenſis obiicere poterat, nullam eſſe Metenſis Epiſcopi intra eius Diœceſim ordinandorum Epiſcoporum facultatem, ac per conſequens malam eſſe Munderici celebratam ab Aigulfo patruo promotionem, Emmonémque non vt Epiſcopum, ſed peruaſorem eſſe expellendum.

Pag. 116. Verùm exiſtimat vir eruditus apud Flodoardum loco Emmonis, reponendum eſſe *Melmonem*, vel *Hammonem Alethenſem*, id eſt Maclouienſem, cùm inter huius ſedis Epiſcopos duo huiuſce nominis Præſules adinueniantur. Sed præterquàm quòd contra vtrumque pugnat temporis ratio, cùm extra Concilij Remenſis tempora vixerint, proferat exemplar aliquod Flodoardi, quo ſuam lectionem fulciat, nam cùm Emmonem Ariſitenſem con-

Melmon ſucceſſit Egnogato anno 631. Hamon Ocdumalo anno 644.

Digitized by Google

ſtanter præferant vetuſti codices, & Emmonis Epiſcopi nomen occurrat in ſubſcriptione priuilegij libertatis Monaſterio Corbeienſi à Bertefrido Epiſcopo Ambianenſi anno 644. conceſſæ, nuſquam verò in Conciliis Gallicanis Melmonis, aut Hammonis manus deprehendatur, non ita temerè ab antiqua, receptáque lectione recedendum, vt noua & inaudita prorſùs ſubſtituatur.

Obſeruandum præterea ſub prima Regum familia in Conciliis Gallicanis nuſquam apparuiſſe Coroſipitenſes, Oſiſmenſes, Alethenſes, & Diablintes Epiſcopos, licèt Nannetenſium, Redonenſium, ac Venetorum, qui eiuſdem Armoricæ Prouinciæ cenſentur, frequens occurrat mentio. Ratio verò diuerſitatis ex ſummis hiſtoriæ Franciçæ apicibus repetenda: Erant quippe inferiores Britanni, à Francis ſtatutis limitibus ſeparati, veluti alieno parentes imperio. Ideóque Gallicani Epiſcopi in epiſtola ad Nomenoium Ducem ſcribunt, *certos fuiſſe fines, quos Franci ab exordio dominationis ſuæ in Gallia ſibi vindicauerint; & certos, quos petentibus Britannis conceſſerint.* At Nannetenſes, Redonenſes, & Venetos intra Francorum limites fuiſſe conſtitutos, alios verò ab his omnino ſecluſos pluribus colligitur. Gregorius enim Turonenſis lib. 9. cap. 18. ait anno 13. Childeberti Regis, ſeu 588.
27. Guntramni, Britannos *in terminum Nanneticum* prædas egiſſe: Mox cap. 24. eandem Gentem contra fidem legatis Guntramni, ac Clotarij datam ſe

nuſquam terminum ciuitatum illarum vltrà aggreſſuros, iterùm *Territorium Nanneticum, Redonicúmque* prædæ ſubieciſſe. Quantum ad Veneticum, idem auctor iam à decennio, ideſt tertio anno Childeberti Regis, qui cum decimo ſeptimo Guntramni concurrit, Varochum Macliaui Britannorum Ducis filium, Venetorum ciuitatem, quam Chilperico abſtulerat, eâ conditione ipſi refudiſſe
Lib. 5. c. 17. narrat, *vt ſi mereretur eam per iuſſionem Regis regere, tributa, vel omnia quæ exinde debebantur, annis ſingulis nullo admonente diſſolueret.* Inde in Conciliis Gallicanis quæ ſub prima Regum ſtirpe coacta fuere, crebra Nannetenſium, Redonenſium, ac Venetorum Epiſcoporum mentio, nec quiſquam occurrat inferioris Britanniæ præter Manſuetum, qui nullius propriæ ſedis ſibi tributo nomine, ſe in Turonenſi I. Synodo *Epiſcopum Britannorum* inſcribit, quaſi totius Gentis Primas eſſet: Vnde forſan ex eius præſumpta audacia, ne Turonenſis Præſulis, cui omnis ſuberat Britannia, læderetur prærogatiua, cautum Concilio Turonenſi II. can. 9. *Ne quis Britannum, aut Romanum in Armorico ſine Metropolitani, aut comprouincialium voluntate, vel literis Epiſcopum ordinare præſumat.* Vt ſe res habeat, certum eſt in antiquis Galliæ Synodis nullam Epiſcoporum Coroſipitenſium, Oſſiſmorum ſeu Leonenſium, Alethenſium vel Maclouienſium, Diablintum ſeu Dolenſium, Briocenſium, Leſobienſium ſeu Trecorenſium mentionem fieri, cùm

tamen vtrique Turonenſi Concilio iure Metropolitico intereſſe debuiſſent. Erant ſiquidem intra Britannicum limitem conſtituti, ſicut Nannetes, Rhedones, & Veneti intra Francicum vſque ad tempora Nomenoij, qui primus has ciuitates occupauit, quarum deinde poſſeſſione Heriſpoio eius filio Carolus Caluus ceſſit, vt conſtat ex annalibus Bertinianis. Quare cùm ciuilis ratio Armoricæ inferioris Epiſcopos, à Francis omnino diſtingueret, malè Hamonem Aletenſem Faber Concilio Remenſi interfuiſſe contendit, & Emmonem Ariſitenſem in ditione Francorum conſtitutum abigit.

Sed nec in ipſo Emmone defecit Ariſitenſis Epiſcopatus, cùm poſt ipſum in Vita Beati Amandi Traiectenſis Epiſcopi, occurrat *Mummulus*: Is quidem *Ozidinſis* dicitur Epiſcopus, ſed vitium ſcripturæ apertè reſtituitur, nam ex eadem vita conſtat Amandum è Vaſconia recedentem, ab Hilderico Rege, II. ſcilicet, ad conſtruendum Monaſterium locum *nuncupante Nanto* impetraſſe, *quod Mummulus Ozidinſis vrbis Antiſtes valdè ferebat moleſtè.* At monaſterium *Nanto* ordinis S. Benedicti Sancto Petro dicatum, ad radices Ariſitenſis montis ſitum eſt, & inter abbatias Vabrenſis Diœceſis recenſetur: vnde ſequitur Mummulum Ariſitenſis vrbis Epiſcopum fuiſſe: Variis enim nominibus effertur *Ariſitum, Hariſidium, & Hariſium*, vt videre potes in doctiſſima diſſertatione Thomæ Aquinatis;

Tom. 1. hiſt. Franc. pag. 647.

vnde deducta vox Ariſitenſis, & *Ariſdenſis*, quæ in Chartulario Monaſterij Sanctæ Fidis Conchenſis apud Ruthenos ſic legitur: *eſt ipſe Allodus in pago Rutenico, in Vicaria Ariſdenſi, in villa quæ dicitur Braiſia, &c. Facta in menſe Martio regnante Roberto Rege*, eodémque ſcripturæ vitio conflata vox *Ozidinſis*. Ariſidi vici nullum extat hodie veſtigium, licèt temporibus Lotharij Regis nondum fuiſſet exciſus, vt ex eodem veteri codice patet. Sic enim habet Charta quæ dicitur de Boxia: *Aliquid de rebus noſtris per precariam illorum cedimus, hoc eſt terram adplantare, & excidere in vico Ariſito, in villa quæ dicitur Sauciarius, in loco qui dicitur ad illa Boxia, &c. Facta die Martis in menſe Octobris anno* XXII. *regnante Lotherico Rege*. Retinet tamen primæuum nomen pagus ſeptem circiter aut ſex leucarum ſpatio definitus, dicitúrque per contractionem vernaculè *l'Arſat* ex vico Ariſitenſi à Deotario conſtructo, quod non latuit clariſſimum Sirmundum in notis ad Concilia Gallicana: *Ariſitum porro vicum*, inquit, *vt ex codicis Metenſis veteri genealogia didicimus, condiderat Deotarius Moderici eiuſdem patruus, vt potè frater Ansberti Senatoris, qui filiam duxit Clotarii I. Regis, auctórque fuit Carlouingicæ familiæ principum noſtrorum.*

Fol. 119.

Fol. 178.

In notis ad Concil. Remenſe.

Nec enim inter laruas Deotarium, Anſbertum & Blithildem amandat vir celeberrimus. Sicut nec eiuſdem Societatis decus eximium Dionyſius Petauius. Sic quippe habet lib. 7. Rationarij tempo-

Digitized by Google

rum : *In Gallijs præclarum ſanctimoniæ nomen adepti ſunt S. Amandus Traiectenſis Epiſcopus ſub Dagoberto Rege, S. Arnulfus Metenſis Arnoldi filius, Ansberti nepos, cui Blithildis Clotarii I. filia nupſerat.* His tamen ex diametro repugnat Faber, quamuis apud eruditos tantorum virorum nondum nactus ſit auctoritatem, nec pleniſſimam veterum monumentorum agnoſcendorum artem, cuius tamen præcepta ſe conſcripturum iactitat, quaſi ſolus rei Antiquariæ abditos receſſus penetrauerit. In fine.

Ex ipſius etiam mente Tarſitia inter reprobos Anſberti liberos recenſenda, quamuis eam vnicam ipſius filiam memorent auctores, eiúſque virginitatem celebrent, ac præcipuè Poëta ſæpiùs ſuprà laudatus, his verſibus: Pag. 102.

Virgo Dei caſtis adolens altaria donis,
Virgineúmque decus ſeruans TARSITIA *fructu*
Centeno cumulata tenet memorabile nomen
Rodenis.

Quod non ab auctoribus genealogicis infrà edendis modò probatur, ſed ex veteri Breuiario, manu exarato ad vſum Ruthenenſis Diœceſis, quod eſt in paratiſſima ſi quæ ſit totâ Galliâ Illuſtriſſimi Petri Seguerij Franciæ Cancellarij Bibliotheca, in eius enim Calendario feſtum Tarſitiæ xv. Ianuarij annotatur; ſacráque Virginis lipſana ſeruat adhuc monaſterium fœminarum ſancti Germani prope Segodunum.

Digitized by Google

CAPVT XIV.

De ARNOALDO, ANSBERTI *Senatoris Filio primogenito.*

QVOTQVOT ſunt auctores qui à Pipino ad hæc vſque tempora de Anſberti ſobole ſcripſere, cõſona voce *Arnoaldum*, vel *Arnoldum* filium eius primogenitum, ac generis continuatorem agnoſcunt. Hunc etiam *Burgiſum*, aut *Buotgiſum* dici nonnulla teſtantur monumenta, veluti Vita ſancti Arnulfi ab *Vmnone* concinnata, tum alia cuius verba retulit clariſſimus vir Thomas Aquinas in notis ad carmen de Origine gentis Francorum, eodémque nomine tantillum deflexo deſignatur in veteri genealogia Regum Francorum poſt Caroli Magni vitam, cuius auctor Eginartus, in codice Bibliothecæ Thuanæ deſcripta, in qua *Buotgiſus, vir illuſter* nuncupatur: Alij *Bodegiſilum*, vel *Botgim* vocant, & inter Aquitanos Duces recenſent, inter quos antiquior auctor Conuerſionis ſancti Huberti, Sigebertus in Chronico, Anſelmus Canonicus Leodienſis, Nicolaus etiam eiuſdem Eccleſiæ Canonicus, & Ioannes monachus S. Martini Turonenſis in Chronico, qui volunt inſuper hunc Odam notæ ſanctitatis fœminam vxorem duxiſſe.

His

Digitized by Google

His omnibus aduerſatur Faber, ac Arnoaldum perſonatum hominem putat, qui vario nomine ſe prodat in lucem, quaſi non hâc tempeſtate frequens eſſet cognominum vſus; ac proinde plures inficiandi ſint, illuſtres viri, qui duplici ſub nomenclatura ab auctoribus deſignantur. Cap. 18. pag. 103. & ſeqq.

Nuſquam igitur extitit B. Audoënus, qui & *Dado* nuncupabatur; nuſquam Dux Boſo qui & *Landegiſilus*, apud quem ſub Clotario II. Lupus Senonenſis in exilium fuit amandatus; nuſquam Deſideratus Cabillonenſis Comes, qui & *Dido*, de quo vita Sancti Leodegarij; nuſquam Mucuruna Chrotildis Clodoueo nuptæ ſoror, Fredegario *Sedeleuba* dicta. Imò & quandoque fratres vno eodémque cognomine vocabantur, vt conſtat ex vita S. Salabergæ, Gunduini vxoris, ac duorum liberorum matris, *quorum ſenior Leudinus cognomento Bodo, iunior verò Fulculſus, qui & ipſe alio vocabulo Bodo dicebatur*: Non ergo falſus Arnoaldus, quia Buotgiſus, Bodegiſilus, & Botgis nuncupatus. Vita S. Audoeni. Tom 1. collect. Hiſt. Franc. pag. 615. Ibid. p. 565. Ibid p. 848.

Videamus modò an iuſtiùs Aquitanorum Ducis titulum ipſi Faber detrahat, ea ſcilicet fretus ratione, quòd eius tempeſtate nullus apud auctores coætaneos Aquitanorum Dux recenſeatur, primúſque Sadregiſilus occurrat ſub Clotario II. hoc nomine inſignitus. Sed huius Prouinciæ adminiſtrationem obiiſſe ſub Clotario I. Willecarium quem *Ducem* Gregorius Turonenſis, & Aimonius *Aquitaniæ Ducem* vocat, debuerat in memoriam Fab. p. 216. Lib. 4. c. 10. De Geſt. Franc. lib. 2. c. 30.

reuocare, eandémque dignitatem ante Sadregiſilum ſuſtinuiſſe Regnoualdum, ac poſt hunc Ennodium, quem vrbium Turonicæ, atque Pictauæ
Lib. 6. c. 11. Ducatum geſſiſſe docet nos idem Gregorius Tu-
lib. 9. c. 7. ronenſis: Ideo nihil in auctoribus nouum qui Bodegiſilum, aut Botgim Aquitanorum Ducem fuiſſe contendunt, cùm ea tempeſtate à Ducibus Aquitania regeretur.

Maior certè occurrit difficultas dum hunc B. Odæ maritum eſſe volunt, de cuius mortis epocha inter ſe non conueniunt auctores: Sigebertus enim hanc anno 711. deceſſiſſe tradit; Monachus verò S. Martini Turonenſis eiuſdem obitum notat ſub annum ſextum Iuſtini II. qui incidit in annum 571.

Non etiam in eius patre concordant auctores, cùm alij hunc reticeant, alij Gunzonis Sueuiæ Ducis filiam eſſe tradant, inter quos Petrus Treuerenſis, qui hanc præter Arnulfum, Baſinum Treuerenſem Præſulem ex Arnoaldo Duce Lotharingiæ ſuſcepiſſe narrat; eiuſdémque ſententiæ Adalbertus Andernacenſis in vita ſancti Luthwini Treuerenſis Epiſcopi: Sed præterquàm quòd huiuſmodi auctorum ſermo ex ſe ſatis ſuſpectus ſit, cùm hac tempeſtate Lotharingiæ nomen non vſurpa-
Tom. 1. hiſt. Franc. pag. 552. retur, certum eſt Gunzoni Duci vnicam tantùm fuiſſe filiam Frideburgam nomine, quam Walafridus Strabo Abbas Augienſis in vita ſancti Galli Sigeberto Theodorici Regis filio deſponſatam re-

fert, ſed ob receptam ex graui morbo ſanitatem, Deo virginitatem vouiſſe.

Diſſentiunt etiam in eius ſorore ſcriptores, quam Hugernam, ſiue *Afram* Bertrandi Aquitaniæ Ducis Huberti genitoris vxorem alij vocant, alij Figbertam, quo nomine deſignatur in epiſtola Canonicorum Amanienſium anno 1446. ſcripta, in qua de B. Oda, & Arnoaldo ſiue Botgi Arnulfi patre ex Chronicis Leodienſibus, & eiuſdem Odæ vitâ, plura monachis S. Arnulfi Metenſis ſciſcitantibus, ſignificant; idque ſingulare maximè, quòd Arnoaldus duas vxores duxerit, & ex prima Bertrandum ſuſceperit, qui deinde ex Figberta Huberti pater fuerit; ex Oda verò Figbertæ ſorore, Arnulfum Metenſem Epiſcopum, vnde Oda S. Huberti amita dicitur ab auctore actorum conuerſionis S. Huberti.

Licèt in hac cauſa variæ ſint, nec cohærentes auctorum ſententiæ, conueniunt tamen in eo quòd Odam Arnoaldi, ſiue Botgis, vxorem fuiſſe tradant, ac Arnulfi ſanctiſſimi præſulis genitricem: De eius ætate ſolùm ambigitur, vt tempus quo auctores hanc vixiſſe narrant, cum Arnoaldo Anſberti filio poſſit conuenire, & naturæ leges minimè violentur. Ridiculus enim eſt auctor Chronici ſancti Martini Turonenſis qui anno 571. illam deceſſiſſe notat, quâ ratione ſequeretur matrem antè fato functam, quàm filius eius in lucem ederetur, cùm certum ſit Arnulfum Mauritio im-

perante natum eſſe, anno circiter 586. Non minùs etiam falſus Sigebertus, qui Odæ mortem ad annum 711. aſſignat: Nam ſi Arnulfi mater, & Botgis Anſberti filij vxor fuit, non illa poſt annum 573. naſci potuit, à quo ad Arnulfi natalem diem quatuordecim anni decurrunt: At ſi hoc anno natam velis, centum & octo ſupra triginta annos attigerat, cùm anno 711. ex Sigeberti mente deceſſit. Quare facilè crederem ſimilitudine nominum deceptum Sigebertum, & Odam virginem ad Lamberti ſepulchrum cæcitate curatam, cuius meminit Godeſcalchus qui floruit anno 770. quámque Molanus in natalitiis Sanctorum Belgij anno 713. defunctam notat, pro Oda Arnoaldi vxore accepiſſe, indéque etiam aliorum natum errorem, qui Odam noſtram Ducis Sueuiæ filiam aſſeruerunt; cùm alia Regis Scotiæ apud Ægidium aureæ vallis ſoboles dicatur, affinéſque ſint *Scotiæ*, & *Sueuiæ* appellationes; Sueuam quidem genere Arnulfi matrem dixere Vmno in Vita S. Arnulfi, aliique nonnulli, ſed Sueuorum Ducis filiam nemo ex veteribus animaduertit.

In Vita S. Lamberti c. 12. 27. Octob.

In Oberto c. 13.

Cùm itaque neutrius Chronici beneficio ætas Odæ poſſit deprehendi, alius character inueſtigandus eſt: hunc autem indicat auctor actorum conuerſionis ſancti Huberti, dum ait Hubertum Franciam Sequanorum deſeruiſſe, vt in Auſtriam confugiens Ebroini tyrannidi ſe ſubduceret. Id verò anno 667. quo Ebroinus Luxouio monaſte-

rio egreſſus in Francorum proceres iterùm graſſari cœpit, contigiſſe probabile eſt: Hunc enim characterem firmat epocha ex morte ſancti Audoëni petita, iuncto ſancti Philiberti Gemmeticenſis exilio: habet quippe vita ſancti Audoëni eum fato functum nono Calend. Septembris, id eſt 24. Auguſti die Dominica, quæ incidit in annum Chriſti *676*. Philiberti verò vita hunc anno exilij octauo euoluto, viuo adhuc Audoëno ab exilio reuocatum refert, ergo vere anni *676*. cuius Auguſto Audoënum corpore ſolutum vidimus. Recedamus modò à vere anni *676*. per octo ſuperiores annos ad initium noni, plane in exordium anni *668*. incurrémus, quo relegatus fuit ab Ebroino Philibertus, ideo quòd Ebroinum Luxouio monaſterio egreſſum apoſtatam dixiſſet; ex quo non ægrè colligitur Ebroinum anno ſuperiori ſeu *667*. monaſterium Luxouienſe deſeruiſſe, eodémque Theodoricum cæſo fratre Childerico Regnum iniuiſſe.

Ponamus ergo tunc Hubertum in Auſtriam cum Oda ſe contuliſſe, nec enim referenda hæc peregrinatio in annum 688. vt voluit Faber; nulla quippe tunc Ebroini metuendi cauſa erat, cùm iam ab Ermenfredo fuiſſet interemptus, circa annum *675*. vt conſtat ex Fredegario qui hunc ante Audoënum fato functum notat. Errátque auctor actorum conuerſionis ſancti Huberti, dum ait Pipinum tunc omnes Tyrannos compreſſiſſe:

Ebroinus ſiquidem Pipinum, non Pipinus Ebroinum prœlio ſuperauit, nec de Bertario victor extitit, niſi poſt Ebroini necem, quâ tempeſtate ceſſauerat cauſa ſeceſſus Huberti, ſi ab Ebroini tyrannide ex eiuſdem auctoris mente repetenda. Eam igitur inde deducendam puto, quòd defuncto Childerico II. & Wlfoado Maiore domus, Martinus Dux & Pipinus filius Angeſiſili in Auſtria dominarentur, vt refert Fredegarius in Chronico, indéque inter Ebroinum, Martinum, & Pipinum belli nata ſint incentiua: Quare cùm Ebroinus ſublimato Theodorico Franciam perturbaret, ſeceſſit Hubertus à Comitatu Theodorici, vt in Auſtriam ad Pipinum cognatum ſuum tenderet, eiúſque partibus contra Ebroinum ſtaret. Id autem anno 667. ſubductis numeris contigiſſe demonſtrauimus, quâ tempeſtate ſi anno 573. Odam, vti ſuprà ſtatuimus, natam poſueris, annos erit nata 94. Hanc ſub Lamberto Tungrenſi Epiſcopo floruiſſe narrat Molanus in natalitiis Sanctorum Belgij: Lambertus verò Ebroini artibus è ſede ſua depulſus in ſtabuletum monaſterium ann. 668. ſe recepit, nec ſedi ſuæ niſi poſt Ebroini mortem reſtitutus fuit: Finge modò Odam anno ſequenti ſeu 669. corpore ſolutam, totúmque biennium, quo in Auſtria permanſit dotandis Eccleſiis inſumpſiſſe, nata erit tunc annos ſex ſupra nonaginta, qui quidem longum ſenium conficiunt, ſed non abſoluunt, cùm plura extent exempla no-

23. Octobr. Ægidius Bucherus in Chronico.

bilium fœminarum, quæ vitam diutiùs protraxerunt.

Obiiciet Faber hanc ab auctore actorum conuerſionis S. Huberti, tunc cùm in Auſtriam ſe contulit, dici Boggis Aquitanorum Ducis *recens* defuncti viduam, cuius viro ſi viginti & quinque annos ante Arnulfum filium aſſignaueris, id eſt natum velis anno 562. defunctum verò tribus annis antequam Oda in Auſtriam pergeret anno ſcilicet 665. cùm aduerbium *recens* ab auctore vſurpatum non longum interuallum inſinuet, tres ſupra centum annos natus erit, in quo licèt natura non violetur, cùm vlterior quandoque ſit hominis vita, ab eius tamen auctoris mente recedam: Adolphus enim *Happart* monachus Andainenſis qui ſe Huberti vitam ſedulò ſcripſiſſe teſtatur, Botgim ſeu Arnoaldum in bello contra Perſas ab Heraclio commoto defunctum, anno circiter 628. ex idoneis auctoribus recitat, docétque præterea duos eiuſdem nominis *Botgés* vno eodémque ſæculo vixiſſe; ſic enim habet apud Ioannem Roberti in notis ad vitam S. Huberti, dum de marito B. Odæ verba facit; *Hic eſt*, inquit, *ille glorioſus ac Chriſtianus Princeps Botgis, qui cum eiuſdem nominis Satrapa Principe Pictonum marito Diuæ Odæ, Imperatori Heraclio Perſas expugnanti ſuppetias venit.* Pag. 118.

Vtvt ſit facilè eo in ſententiam eruditi Fabri, qui cum Patre Meuriſſio Arnoaldum Metenſem Epiſcopum, alium ab Arnoaldo ſiue Burgiſo Ar- Pag. 121. & ſeqq.

nulfi patre ſtatuit: Nec me mouet quod Paulus Diaconus hunc Aigulfi nepotem dicat, veluti natum Anſberto Aigulfi fratre: Nam cùm plures fratres Anſberto fuerint, potuit Arnoaldus ille Metenſis præſul ab alio naſci, quàm ab Anſberto, idque inſinuat ipſe Paulus Diaconus; nam vt Arnoaldum Aigulfi nepotem dixit, vt ſucceſſionem velut hæreditariam in Epiſcopatu Metenſi demonſtraret, Arnulfum Arnoaldo natum dixiſſet, quod tamen reticet, vnde ſuſpicari licet Arnoaldum Arnulfi patrem diuerſum eſſe ab Epiſcopo Metenſi, quod ex eo etiam vel maximè colligitur, quòd nulli ex auctoribus antiquis, qui B. Arnulfi ſtemma pertexuere, eius patrem Metenſem Epiſcopum aſſeruerint, ſed alij *Ducem*, alij *Virum illuſtrem* appellarint, vnde cùm alius ſit à Metenſi, aliis quoque diebus eius obitus poteſt aſſignari; Quòd ſi vim faciat Faber in verbis auctoris actorum conuerſionis S. Huberti, iiſdem certè argumentis quibus ille B. Firmini vitam deprimit, huius auctoris fidem eleuabo: Fragmentum edidit clariſſimus Ducheſnius, ſed quæ ſequuntur apud Ioannem Roberti, qui ea depromſit ex veteri codice monaſterij Rubræ vallis, ac notis illuſtrauit, ita ſunt commentis conſarcinata, vt nihil magis fictitium poſſit excogitari. Ait ſiquidem is auctor, Hubertum Romam profectum à Sergio Papa in locum Lamberti Tungrenſis Epiſcopi conſecratum, ideóque ab angelo baculum Lamberti paſtoralem ipſi dela-

Digitized by Google

delatum, quem cùm Hubertus recuſaret, ſubitò Pontificalibus eiuſdem Lamberti veſtimentis à loco paſſionis ab angelo tranſlatis induitur, & cùm deeſſet ſtola à B. Virgine Tungrenſis Eccleſiæ patrona mox ipſi tranſmittitur, ac miſſam celebranti apparuit Petrus auream quaſi clauem geſtans, quam in ſignum poteſtatis ligandi, atque ſoluendi ei tradidit, auditáque apud Tungrenſes ipſâ exequiarum Lamberti horâ, vox de cælo monens, ipſis à ſummo Pontifice de condigno paſtore prouiſum: de quibus ne verbum quidem apud Ionam Epiſcopum, qui Walcandi Leodienſis Epiſcopi precibus Huberti vitam, & miracula à die quo Epiſcopus vnanimi fidelium conſenſu electus eſt, vſque ad tempus, quo eius oſſa à Carlomanno Pipini filio à primo ſepulturæ loco in honeſtiorem ſunt eleuata, fideliter proſequutus eſt. Procul abeſt vt Firmini, ac Ferreoli vita tot commentis ſcateat, & tamen eius fidem eleuat Faber, iſtius verò auctoritatem amplectitur. Vixit anno 810.

Dum hanc expenderit facilè mihi ſuadeo, ſe non in poſterum negaturum huiuſmodi monumenta, non omnino quidem ab hiſtoricis probationibus ablegenda, ſed admittenda cum temperamento, quatenus ſcilicet nulla meliora ſuperſunt, nec veritati quæ aliunde conſtet, fucum faciunt, aut aliquo probabili argumento ſuſtentantur. Vt, ex vita Firmini Ferreolum Anſberti patrem, & Firminum Ferreoli Vcecienſis patruum

admitto, ſic ex actis conuerſionis S. Huberti Odam Huberti amitam, & Boggis Aquitanorum Ducis vxorem non recuſo, de tempore verò, quo eius relictam inſinuat, dubito, eiúſque fidem in hac parte ſicut & in aliis quæ de Huberti conſecratione narrat, prætermitto, vt probabiliorem ſententiam amplectar.

Pag. 116. Sed admiranda profectò Fabri verſutia dum acta dotationum Odæ in fauorem Eccleſiarum perquirit, locúmque indagat, quo eius oſſa requieſcunt; Dum Sigebertum qui eius meminit, vt ignarum reſpuit, mox ex actis conuerſionis ſancti Huberti Odam admittit, & continuò quaſi eorum quæ ex iiſdem actis proloquutus eſt, pertæſus, Odam ſuppoſititiam, viro vtique commentitio rectè vxorem aſſignari aſſerit. Demus Fabro nuſquam extitiſſe Odam, ſaltem negare non poteſt Arnoaldum Anſberti filium fuiſſe, cùm id apertè tradat vita S. Clodulfi, ac veteres omnes genealogiæ, quæ ſub Pipino, Carolo Magno, Lothario, Ludouico Germaniæ Rege, ac Carolo Caluo concinnatæ fuere.

Si non Odam eius vxorẽ agnoſcit, agnoſcat aliam genere Sueuam, quam ipſi tribuit vita S. Arnulfi Caroli Magni iuſſu ab Vmnone deſcripta, quæ ſic habet: *Natus eſt autem* B. ARNVLFVS *Aquitanico patre* SVEVIA MATRE *in caſtro Lacenſi*: nec eſt quòd dicat tunc Sueuorum nomen inauditum, quia iam hæc regio à Francis ſubacta, vſque ad Caroli Ma-

gni poſteros *Alemannia* dicta fuit. Eadem hæc ratiocinatio, ac ſi quis diceret Galliam ab eo tempore, quo Francis paruit, non Galliam ſed Franciam nuncupatam. Sueuorum tamen ſeruatum nomen etiam ſub Theodeberto II. fidem facit vita ſancti Columbani à Iona eius æquali conſcripta, vbi ſic de Bricantiâ vico diruto, à Theodeberto Rege S. Columbano conceſſo: *Quem peragrans vir Dei non ſuis placere animis ait, ſed tamen ob fidem in gentibus ſerendam, inibi paulisper moraturum ſe ſpondet, ſunt etenim ibi vicinæ nationes Sueuorum.* Pipinus etiam in eius vita *contra Sueuos* bellum mouiſſe dicitur: In appendice quoque ad geſta veterum Francorum à Theodorico II. vſque ad Pipinum, recenſetur *Sueuia, id eſt Alemannia*, ex quibus patet non intermortuam Sueuorum appellationem, vt ſibi ſuaſit Faber, ante ipſum Carolum Magnum vſurpari.

Falſum etiam quod ſibi finxit, nullas inter Alemannos ſub primis Francorum Regibus nobiles extitiſſe familias; audiat auctorem vitæ ſanctæ Auſtrebertæ primæ Abbatiſſæ Pauliacenſis, quæ ſub Dagoberto I. floruit dum de Badefrido Comite verba facit: *Hic accepit*, inquit, *vxorem Alemannorum Regis ex proſapia, nomine Framehildem.* Si adhuc ex Alemannorum Regum genere nepotes extabant, aut Regis nomen pro Comitis titulo vſurpatum velit, ſicut in legibus Alemannorum, patrimonium Comitis *Regnum* dicitur, inficiari certè

Pag. 105. Apud Surium tom. 1. Tit. 35.

non poteſt, ſub primis Francorum Regibus illuſtres plurimas apud Alemannos familias claruiſſe; Idque inſuper palàm facit vita Pipini Ducis in qua laudatur *Leutherius Dux Alemannorum*, qui Ottonem quemdam Pipini æmulum, & in palatio Sigeberti III. Maioris Domus dignitatem ambientem interfecit.

Tom. 1. Collect. hiſt. Franc. pag. 598.

CAPVT XV.

De Sancto ARNVLFO *Metenſi Epiſcopo.*

SI auctorum qui Arnulfo Arnoaldum, ſiue Burgiſum patrem aſſignant ſeries repetenda; hîc iterum attexendi eſſent, qui de ipſius genere ſcripſere, quorum ſuprà fusè in in Anſberto meminimus. Vnum optimæ notæ hoc loco referam, qui non vt cæteri Arnulfi ſtemma ab Anſberto eius auo deducit, ſed ab ipſius patre. Sic enim habet: *Proſapiâ Regum à* B. ARNVLFO *vſque in hæc tempora geniti conſtant, vel quot tempora Regnum Francorum ampliauerunt, vel gubernauerunt, actáque illorum breuiter ſic annotata habentur.* BVOTGISVS *illuſter vir genuit Arnulfum ſanctiſſimum virum Epiſcopum vrbis Metenſium, Beatus quoque* ARNVLFVS *genuit Anſgiſum, &c.* Integrum ſtemma cum pluribus aliis in fine hujus diſſertationis dabimus; interim huius auctorem Eginartum Caroli Magni nota-

rium non pauca ſuadent, ſcriptum enim eſt antiquiſſimo charactere vno tenore ad calcem vitæ Caroli Magni ab Eginarto compoſitæ: Præterea vt pateat id vnius eiuſdémque argumenti partem eſſe, ſubiungitur, *Explicit vita Caroli Regis Magni, atque Imperatoris*, quod non niſi abſoluto opere ſolet adiici.

Contra tamen tot auctorum ſententias contendit Faber Arnulfi patrem veteribus incognitum, quaſi fungorum in modum ſanctiſſimus præſul natus ſit: Ait enim eius vitæ ſcriptorem hunc prætermiſiſſe, qua in parte Sanctorum vitas ſe parùm legiſſe demonſtrat, in quibus ea plerumque auctoribus cura, vt eorum quorum acta celebrant, genus taceant, ita illorum humilitati conſulentes, qui vt Chriſtum ſequerentur generis oſtentationem refugerunt. Sed huic vitæ aliam oppono iuſſu Caroli Magni ſcriptam, vt quæ in ea deerant ſupplerentur, eiúſque præſertim generis origo innoteſceret. Sic enim habet: *Exhortatione plurimorum commonitus* VMNO *Dei gratia præuentus, ac impulſus geſta B. Pontificis* ARNVLFI *explananda ſuſcepi, non vt aureo Babylonis poculo audientibus ficta propinarem, ſed vt opera Dei quæ in ſuo dignatus eſt operari Sancto ad ædificationem fidelibus aſſignarem. Priora ſiquidem de ipſo adſcripta quibuſdam videbantur minus luculenta, & ingrata*, TVM QVIA STEMMA EIVS NOBILITATIS, *tempus, locúmque ipſius natiuitatis, quæ ſunt authentici fundamenta operis* QVASI PRÆ EXCELLENTIA

Cap. 20. pag. 129. & ſeqq.

Communicauit ex veteri cod. Monaſterij S. Montis ordinis S. Benedicti prope montem Romaricum C. vir Pater Vignerius.

CVNCTIS NOTA *præteribant; tum quæ incipiebant prolo-qui minus aſsignata relinquebant: Memorabile quoque annuli eius inſigne omnino reticebant: Quod Carolus Magnus cui fuerat tritauus cum veritatis approbatione ſcribi iuſsit.* At is auctor ſic Arnulfi genus cap. 1. deſcribit: *Clodoueus primus Rex Francorum Chriſtianus genuit præcelſum Regem Clotarium, cuius filiam Blithildem nomine* ANSBERTVS *vir Aquitanicus præpotens diuitiis & genere in matrimonium accepit, de qua* BVRTGISVM *genuit patrem B. huius* ARNVLFI. Tum cap. 3. *Natus eſt autem B. Arnulfus Aquitanico patre, Sueuia matre in caſtro Lacenſi in Comitatu Caluimonticenſi, Imperatoris Mauritii temporibus, qui primus de genere Græcorum imperauit Romanis.* Et hanc narrationem confirmat vetus Charta Monaſterij S. Arnulfi Metenſis anno 950. ſcripta, qua Eua Comitiſſa, & filius eius Vdelricus Remorum Archiepiſcopus huic cœnobio *villam Layum in comitatu Caluomontiſſæ* donat: *Quam villam*, inquit, *ſpecialiùs ipſi Beatiſsimo Pontifici Arnulfo idcirco volui delegare, quòd iſdem venerandus Antiſtes de cuius germine Reges Francorum ſtrenuiſsimi prodiere, in eadem villa præſentis exordium ſuſcepit vitæ, & quia filii mei ab ipſo ducebant originem ex paterno genere.*

Apud Meuriſſium in vita Clodulfi.

Pag. 130. Vt ſententiam ſuam firmet vir eruditus, aſſerit nullum ex auctoribus cognationis quæ inter Clotarium II. & S. Arnulfum interceſſerat ob Blithildem Clotarij I. filiam eius auiam, mentionem feciſſe; & vt Alberici mentem deflectat, dum ait

anno 620. Clotarium Regem, Dagobertum filium ſuum commiſiſſe educandum, *Pipino Principi Carlomanni filio, & Arnulfo cognato ſuo*, contra Grammaticæ leges voces *cognato ſuo* ad Pipinum, non ad Clotarium referendas eſſe contendit, quod vel primis Latinæ linguæ rudimentis imbuto nouum videbitur, cùm vox relatiua *ſuo*, ſolum Clotarium reſpiciat, non Pipinum; aliàs enim ſi Pipinum Arnulfi cognatum deſignare voluiſſet is auctor, cognatum *eius*, non *ſuum* dixiſſet.

Meminiſſe præterea debuerat Faber ſe iam Ægidij Monachi continuatoris Harigeri verba protuliſſe ab Alberici mente in hoc ſolùm diuerſa, quòd Arnulfum Clotarij II. cognatum dicat ob Blithildem eius filiam, cùm tamen ipſius amita, non filia cenſenda ſit: Sic enim habet in Epiſcopis Leodienſibus cap. 36. LOTHARIVS *Rex commiſit filium ſuum Dagobertum educandum* PIPINO *Principi patri S. Gertrudis, &* ARNVLFO ILLVSTRI COGNATO SVO. *Cognatum ideo appellamus quia Lotharius Rex Francorum pater Dagoberti filiam habuit Blithildem. Hæc ex Ansberto Nobili viro genuit Arnoaldum, ſeu Bodegiſilum, ſiue Boggis, trinominus enim fuit. Boggis de Oda vxore ſua genuit* ARNVLFVM *poſtmodùm Pontificem Metenſium, &c. Arnulfus verò ex Doda vxore ſua genuit Anſigiſum, &c. Anſigiſus autem de Begga Pipini Ducis filia, genuit Pipinum Groſſum.* Eodem ſenſu Ægidius alter in poëmate nondum edito, quod ſub Philippo Auguſto Ludoui- Pag. 169.

eo admodum iuueni de Caroli Magni geſtis inſcripſit, vnde librum *Carolinum* vocauit, Pipinum Anſegiſo, maternóque Regum Francorum ſanguine procreatum, in quarto cognationis gradu, cum Rege qui hac tempeſtate viuebat, conſtitutum deſignat; vnde ſequitur Arnulfum eius auum Regibus prioribus fuiſſe coniunctum. Ita quippe de eo verba facit, dum Pipini Breuis inaugurationem canit:

Communicauit humaniſſimè C. vir Mantellus Regius Medicinæ Profeſſor.

Dignus ab indigno faſces tulit ille PIPINVS,
Qui licèt vt moduli bipedalis homunculus eſſet,
Mente Gigas, & vi fuit auctior ille PIPINVS.
Nomen id eſt ſortitus auo, qui in PLECTRVDE
Sponſa
Progenitis aliis aliunde ex Manzere ramo
TVDITÆ CAROLI *pater extitit, eius & ille:*
Verùm auus ille pater Tuditæ, poſt EBROINI
Præpoſiti ſerâ compreſſum morte tyrannum
In vice WLFALDI *dominari cœpit adhærens*
Regibus Auſtraſiis, & eorum Curopalates.
Ipſe ſed obliquè Francorum è SANGVINE *Regum,*
Quos regno genuit ſanguis Troianus eorum
Egreſſus lumbis, tantæque propaginis HÆRES. *&c.*
Ipſe ANSEGIFILO *natus Genitore, ſuique*
Temporis attingens IN QVARTO LIMITE
Regem,
Non æquè, ſed vt inferior; quo patre GRIMOLDVS
Frater DROCONIS *Regali præfuit aulæ,*
Sub CHILDEBERTO *Fraterna in regna recepto,*

Poſtquam

Digitized by Google

Poſtquam Rex Francis DAGOBERTVS *Iunior ad ſe*
TVDITEM *aſſumens ſub ſe præfecit in aula.*

Eodem ſenſu Philippus *Mouſkes*, qui ſub B. Ludouico Hiſtoriam Regum Francorum ex antiquis Monaſterij ſancti Dionyſij monumentis rythmo Gallico proſecutus eſt, Grimoaldi genus celebrans hunc Pipini filium affirmat, Pipinum verò Anſigiſo natum, ac nepotem S. Arnulfi ex Regia ſtirpe oriundi, ſic enim habet:

Cil GRIMAVLS *eſtoit fils* PEPIN
Ki prudom fu, & de haut lin,
Et PEPINS *fu fieus* ANGESIL,
D'vne Dame biele, & gentil,
Et Nies ſainct IERNOVL *del* LIGNAGE
Le ROY *de* FRANCE *en cel eage.*

Sed cur in recentiorum auctoritatibus immoramur, cùm quotquot ſunt ex veteribus, qui B. Arnulfi ſtemma pertexuerunt, hunc Clotarij I. cognatum tradant, dum illum Blithildis nepotem conſtituunt: Ex quo Hincmarus Remorum Epiſcopus Ludouicum Pium Clodoueo I. per B. Arnulfum exortum palam in oratione quam Metis habuit, profitetur.

Sic Ducis titulum ab auctoribus Arnulfo negatum aſſerit Faber, & tamen ex veteri fragmento hiſtorico locum profert, quo eius opinio profligatur: ſic enim habet: *Sanctus quoque Arnulfus cùm eſſet in iuuentute* DVX, *genuit Angiſum Ducem.* Laudat etiam in ipſius conuictionem eiuſdem Arnulfi

Pag 119. Tom. 1. Hiſt. Franc. pag. 782.

Digitized by Google

Vitam iuſſu Clodulfi Metenſis Epiſcopi ſcriptam, quæ ſanctum Præſulem ſex Prouincias adminiſtraſſe refert, quaſi non hæc functio Duci conueniret. Arguit nihilominus clariſſimum Duboucherum, qui Arnulfum Ducem in Auſtria nuncupauit, ac ſi nuſquam Ducis in Auſtria vſurpata eſſet appellatio. Verùm legat genealogiam Regum

Pag. 795. Francorum à Ducheſnio collectionis hiſtoricæ primo Tomo editam, quam inſcripſit *altera ſeries*, in qua ſic loquitur de Wlfoado: *Poſt Grimoaldum Herginoldus Maior Domus efficitur, quo defuncto Ebroinus ſuccedit, Wolfodo apud Auſtriam Ducis officio fungente.* Sic breue Chronicon Regum & Maiorum Domus in veteri codice S. Symphoriani Metenſis Pipinum & Martinum *Duces ſuper Auſtraſios*, dicit. Fuerunt igitur Duces in Auſtria, quos Vita Pipini Ducis, vocat *Duces Auſtraſiorum.*

Sed forſan ſcriptoris à Ducheſnio editi fidem refugiet, quia eodem loco ſanctum Arnulfum, Arnoaldo natum profitetur, quod ita faſtidit vir eruditus, vt Mummolum Patritium læſæ Maieſtatis reum, ipſi genitorem malit aſſignare, ſed quo auctore? nullo prorſus, adeò vt non ſecus ac Palladem è cerebro Iouis prognatam Poëtæ dixere, ſic Arnulfum è cerebro Fabri natum liceat proclamare.

ANSBERTI
FAMILIA REDIVIVA:
PARS ALTERA.

SIVE

GERMANVM HVGONIS CAPETI
STEMMA ILLVSTRATVM:

NOVAQVE IOAN. IAC. CHIFFLETII
LVMINA GENEALOGICA
PVRIORI LVCE VERITATIS OBSCVRATA.

V ij

Digitized by Google

Digitized by Google

ANSBERTI
FAMILIA REDIVIVA.

CAPVT I.

Quomodo intelligendi ſint auctores, qui in LOTHARIO *&* LVDOVICO V. *genus regale defeciſſe dicunt.*

SVPERIOREM Beati Arnulfi lineam vindicaſſe ſatis mihi videbatur, vt iam calamo ſcribendi modum imponerem, cùm ecce noua ſtyli tractandi occaſio ſe ſe obtulit, recénſque prodiit ex Belgio Ioannis Iacobi Chiffletij Vindiciarum Hiſpanicarum editio, quâ velut ex condicto, quemadmodum Faber Magni Præſulis Maiores impugnauit, ſic ille nonnullos ex eius nepotibus aggreſſus eſt. Ad emiſſum quippe anno ſuperiori contra Regum Francorum gloriam libellum NOVA, vt ait, admouens LVMINA, Hugonis Capeti repetitum à

Digitized by Google

Welpho Altorfi Comite genus illuſtraſſe ſibi ſuaſit: Vrentibus verò radiis editum à nobis eiuſdem Regis ſtemma, per Childebrandum Caroli Martelli fratrem ab Arnulfo Metenſi non interruptâ ſerie deductum, ita offudiſſe; vt iam velut obſcuratum in poſterum latere debeat. Sed certè dum eruditi viri *Lumen* inquiro, ſolum eius *Volumen* reperio, tantis conſperſum effugiis, vaniſque coniecturis, vt ne quidem in eo vel minimæ lucis emicent ſtricturæ, quin atrâ potiùs inuoluatur caligine. Vt ſepia dum piſcatoribus ſe ſubducere tentat atramentum euomit, quo retia circumfundit, ſic Chiffletius nebulas excitat, quarum obductus velo, poſſit effugere: ſe tamen cæteris *lampadem* præferre gloriatur, quaſi cunctis oculorum aciem, aliquo medicamento perſtrinxerit, aut eius ſit quam accendit, FAX, condituræ, vt ex quorundam Phyſicorum ſententia emergentis inde fumi ea ſit facultas, vt quas flamma formas detegit, ſuperueniens caligo valeat immutare. Sed an hoc ipſe licèt abditos naturæ receſſus penetrauerit, in hac cauſa præſtiterit, inueſtigemus, & à nobis editum Hugonis Capeti ſtemma proferamus, vt quis inde videat, an illuſtres viri, quibus illud componitur, inter laruas ſint reputandi.

Stemma HVGONIS CAPETI, *à B.* ARNVLFO *Metenſi Epiſcopo per maſculos deductum.*

B. ARNVLFVS Dux, deinde Metenſis Epiſcopus.
Vxor DODA.

ANSIGISVS Dux.
Vxor BEGGA.

PIPINVS Dux & Maior domus.
Vxor ALPAIS.

CAROLVS MARTELLVS:
Vxor ROTRVDIS.

PIPINVS Rex:
Vxor BERTRADA.

CAROLVS M. Rex & Imp.
Vxor HILDEGARDIS.

LVDOVICVS Pius:
Vxor IVDITHA.

CAROLVS Caluus:
Vxor HERMENTRVDIS.

LVDOVICVS Balbus:
Vxor ADELAIS.

CAROLVS Simplex:
Vxor OGIVA.

LVDOVICVS IV. Vxor
GERBERGA. Obiit 954.

LOTHARIVS Rex: Vxor
EMMA: Obiit 986.

LVDOVICVS V. vltimus
huius lineæ: Obiit ann. 987.

CHILDEBRANDVS Dux.

NEBELVNGVS Comes.

THEODEBERTVS Comes:
Matricenſis.

ROBERTVS I. Comes:
Vxor AGANA.

ROBERTVS II. Fortis nuncupatus: Vxor ADELAIS.

ROBERTVS I. Rex:
Vxor BEATRIX.

HVGO Magnus Dux Francorum:
Vxor HAVIDIS Saxonica.

HVGO CAPETVS: Vxor
ADELAIS Pictonica: Rex
proclamatus anno 987. quo
deceſſit LVDOVICVS V.

Indubitatas huiuſce ſtemmatis probationes protulimus dudum in noſtro Aſſertore Gallico, iiſque nunc eadem opponit argumenta Chiffletius, quæ iam antè propoſuerat in aſſerenda Welphi Altorfi Comitis progenie; Omnes ſcilicet auctores qui ſub prioribus Capetinis Regibus ſcripſere, conſonâ voce tradidiſſe, Hugonis Capeti inauguratione Caroli Magni *genus, familiam, proſapiam, & agnationem*, periiſſe: quibus cùm ego reſpondiſſem, aliam fuiſſe familiam *Hugonis Capeti*, velut à Childebrando deductam, aliam *Caroli Magni*, à Carolo Martello decurrentem, ideóque me non inficiari diuerſum fuiſſe, & à Carolo Magno alienum Hugonis

Pag. 15. Capeti genus, *quia non ex eadem linea maiorum Domus originem traxerat, etſi ex vno eodémque communi ſtipite prodiret*, Pipino nempe ſeniore; ſubiungit modò

Pag. 163. vir eruditus; *Aſſenſum Dominici amplector ſed ſubiectam explicationem, vt minus veram non admitto: imo affirmo vno genere, proſapia, familia, progenie, genealogia, agnatione, ſtirpe (quæ ſunt auctorum verba ſolemnia) contineri omnes* Vnius Gentis *lineas, ramos & capita à primo orta deductáque ſtipite.*

At quàm fœliciter ratiocinetur videant æqui rerum æſtimatores; imò ſub vna gente omnes lineæ, ac ſtemmata continentur, nec familiæ nomine gens venit, cùm familia pars gentis ſit, vt rectè docet nos Suetonius in Nerone cap. 1. *Ex gente Domitia*, inquit, *duæ familiæ claruerunt, Caluinorum & Ænobardorum:* eóque ſenſu Iabolenus Iuriſcon-

Iuriſconſultus in *l. vacatio ff. de muneribus & honoribus*, ait vacationem, itémque immunitatem, *quæ liberis & poſteris alicuius data eſt, ad eos dumtaxat pertinere qui eius familiæ ſunt.* Cùm ergo ex vna quidem gente B. ſcilicet Arnulfi, fuerint Carolus Magnus, & Hugo Capetus, nihil mirum varias ex ea prodiiſſe familias, ex quibus licèt vna defecerit, non ideo conſequens eſt aliam defeciſſe. *Familiam* enim iure proprio, vt cum Iuriſconſulto loquar in *l.* 195. §. 1. *ff. de verborum ſignific. dicimus plures perſonas quæ ſunt ſub vnius poteſtate aut natura, aut iure ſubiectæ, puta patremfamilias, matremfamilias, filiumfam. filiamfam. quique deinceps eorum vicem ſequuntur, vt puta nepotes, neptes, & deinceps.* At quis dicet Hugonem Capetum inter Caroli Magni nepotes reputari, cùm ne ex eius quidem recto ſanguine, niſi per fœminas oriatur; familia verò latiori ſignificatione de pluribus etiam perſonis accipiatur, *quæ ab eiuſdem vltimi genitoris ſanguine proficiſcuntur, ſicuti dicimus familiam Iuliam quaſi à fonte quodam memoriæ:* quo ſenſu dum nonnulli ex auctoribus familiam Caroli Magni in Lothario, & Ludouico V. extinctam tradunt, inſinuant ſatis nullos ex eius nepotibus, & ab eius ſanguine procreatos extitiſſe poſteros, ſed non alias quoque à B. Arnulfo decurrentes lineas tunc defeciſſe. d. l. 195.

Similis loquendi formulæ nobile nobis exemplum ſuppeditat Chronicon S. Benigni Diuionêſis de Sigeberto II. eiúſque fratribus Theoderici Bur-

gundiæ Regis filiorum excidio agens: *Funditus ergo,* inquit, *radicitúſque deleta* THEODERICI *ſtirpe*, CLOTARIVS *potitus eſt trium regnorum Monarchia ſolus.* Deletum vides Theoderici genus, ſed non inde ſequitur, Merouingicum omnino defeciſſe. Eodem modo vetus auctor ineditus, qui Regum Francorum ſeriem ad Lotharium Ludouici IV. filium perduxit, de Ludouici Pij liberis verba facit: LVDOVICVS *Imperator genuit Lotharium Imperatorem, pòſt Prumiæ Monachum factum, & Pipinum Regem Aquitaniæ, & Ludouicum Regem Noricorum, ex Ermengarde. Ex Iudith verò Carolum Caluum pòſt Imperatorem: qui quatuor fratres bellum habuerunt in Fontanide in pago Autiſſiodorenſi. Lotharius igitur Imperator ex quatuor fratribus primus genuit Lotharium qui excommunicatus pro Waldrada* FINEM FECIT ILLI SVCCESSIONI. *Pipinus Rex Aquitaniæ ex quatuor fratribus alter, genuit Pipinum quem Carolus patruus ſuus totondit in Monaſterio ſancti Medardi*, ET SIC FINEM FECIT ILLA SVCCESSIO. *Ludouicus ex quatuor fratribus tertius Rex Noricorum genuit Carolum, Ludouicum, & Carlomannum, qui Carlomannus genuit Arnulfum, Arnulfus Cendebaldum, & Ludouicum & Ratoldum*, SIC ET ILLA SVCCESSIO DEPERIIT: *Carolus Caluus ex quatuor fratribus quartus omnibus ſuperuixit, & Imperium ſolus obtinuit.* En vt quatuor illi fratres diuerſas ac ſeparatas familias inſtituerant, quarum tribus de medio ſublatis, non inde tamen diceres Caroli Magni genus defeciſſe, cùm adhuc Carolus

Ex Codice S. Symphoriani Metenſis ex Bibliot. C. Viri Claudij Hardy.

Digitized by Google

Caluus, eiúſque nepotes ſupereſſent. Sic extinctâ Caroli Magni *proſapia, progenie, familia*, non inde tamen ſequitur B. Arnulfi nepotes omnes periiſſe, cùm adhuc ſupereſſent poſteri à Childebrando deducti.

Et quidem aduertendum eſt nullos ex auctoribus à Chiffletio laudatis, euacuatum omnino Beati Arnulfi genus Hugonis Capeti inauguratione memoriæ mandaſſe; ſed modò *Regale ſeu Imperiale genus regnandi finem feciſſe*, modò Ludouicum V. *Regalis proſapiæ vltimum* fuiſſe, nunc Reges *de familia Caroli defeciſſe*, nunc factam *Regum nouam ſucceſſionem*, quibus verbis palam inſinuant ſolam Caroli Magni familiam extinctam, cùm nec Regium nomen Childebrandi nepotibus poſſit conuenire, quia vt in Aſſertore notauimus, nuſquam in Childebrandi lineam regnum fuerat deuolutum, & hæc priùs ad poſteros deflueret, quàm Pipinus Regni Francici ſceptra moderaretur. Quare fruſtrà laborat vir eruditus, qui hæc verba non ſolùm ad Reges à Carolo Magno ortos referenda contendit, *ſed etiam* Pag. 164. *ad Caroli Magni Maiores à Blithilde Clotarii I. Regis filia propagatos: Vnde genealogia S. Arnulfi Metenſis in titulo dicitur Regia, quia per Blithildem à Francorum Regibus initium ſumpſerat.* Sed non ideo certè tale nomen ſortita eſt, ſed quòd Blithildis *fortiſſimorum Regum mater* fuerit, vt de Begga loquitur Vita Pipini Ducis: Vnde in pleriſque codicibus ſancti Arnulfi genealogiæ hic titulus præpoſitus eſt, *Incipit comme-*

moratio Regum Francorum: quamuis enim à Blithilde Clotarij I. filia initium ſumpſerint Principes Carlouingici, non ideo tamen inter agnatos Merouingiorum cenſebantur, cùm illos per mares non attingerent, in quo præcipuè conſiſtit vis agnationis, nec eis regni ſucceſſio delata, niſi cùm *defecit totum genus Regale*, vt loquitur Monachus ſancti Eparchij Engoliſmenſis; quod reuera falſum deprehenderetur, ſi Beati Arnulfi nepotes Regiæ familiæ fuiſſent adſcripti. Et quidem *Mulierem familiæ ſuæ caput & finem eſſe* rectè dixit Iuriſconſultus, cùm liberi non eius, ſed patris familiam ſequantur.

Tom. 2. Collect. hiſt. Franc. pag. 784.

Dicta l. 195.

Cæterùm quia ætatis mediæ ſcriptoribus, ac nouiſſimis incognita hæc Hugonis Capeti genealogia, non ideo tamen ſuſpecta; ex primis enim quamplures Normannicâ vaſtatione periere, & cũ ipſo Roberto Forti ipſius originis teſtes, alij verò cùm nonniſi priorum veſtigia ſectentur, mirum non eſt, ſi præ illis quos anteſignanos habuere, maiorem rerum geſtarum notitiam non ſint conſequuti.

Quare ad chartas & priuata Monaſteriorum monumenta, quibus aſſeruandis rei familiaris ſtudium animos admouit, recurrendum; Ex iis autem quàm noua, & præteritis ſæculis inuiſa quotidie prodeant, maximéque circa nobilium familiarum origines, ipſi ſciunt qui non hanc operam dedignantur. Quis Regum Luſitanorum ab Hugone

Digitized by Google

Capeto genus vnquam deduxit, antequam clariſſimus Gothofredus, ex veteri membrana Monaſterij Floriacenſis nobis illud aperiret? Quis Lotharingorum Principum germanam originem retexit, antequam eiuſdem doctiſſimi viri ſagacitas, ex priuatis monumentis Gerardum Alſatiæ Comitem huius familiæ auctorem erueret? Sic acta Murenſia Auſtriacæ gentis ſtemma fabulis antea conſperſum elucidarunt; ſic ex aliis documentis ignotos dudum Foreſiorum Comites ex Delphinis Viennenſibus oriundos ſcimus; ita confuſos hactenus ab auctoribus Amedeum I. & Amedeum II. chartarum beneficio diſtinximus, duáſque ſeparatas perſonas agnouimus in vnam anteà coadunatas; ita innumera propemodum emerſere, antea tineis, blattiſque commendata; ſummóque in futurum Reipublicæ literariæ bono detegentur.

Venient annis Seneca in Medæa.
Sæcula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet & ingens
Pateat tellus, TYPHISQVE NOVOS
Detegat ORBES, *nec ſit terris vltima* THVLE.

CAPVT II.

NIBELVNGVS *Comes* CHILDEBRANDI *filius,* *pater fuit* THEODEBERTI *Matricenſis Comitis in Neuſtria, non in Orientali Francia.*

NIBELVNGVM Childebrandi Comitis fuiſſe filium apertè declarat Fredegarius in Chronico, dum primam illius partem Childebrandi Pipini Regis patrui iuſſu conſcripſiſſe narrat, alteram Nibelungi ipſius Childebrandi filij. Nibelungum verò Theodebertum Comitem genuiſſe ex ſancti Iuliani Briuatenſis apud Aruernos charta liquidò demonſtratur. In hac enim Pipinus Rex Aquitaniæ Ludouici Pij filius, (quem Theodeberti filiam *Ingeltrudem* ſcilicet, vxorem duxiſſe docent nos tum Eginarti, tum Metenſes ac Bertiniani Annales) ipſius Ingeltrudæ Reginæ patrem, ac auum laudat THETBERTVM, ac NEBELVNGVM Comites. Verùm in ea affectatam illam Principum conſanguinitatem à Duboucheto audaciter inſertam affirmat Chiffletius, vnde vt in lite ritè inſtituta falſi accuſatio aduerſus inſtrumenta iam edita peſſimi iuris ſuſpicionem iniicit, ſic quàm deprauata ſit eius cauſa inde quis facilè colligere poteſt. Forulos in quibus charta hæc reperitur indicauit vir dili-

Ad ann. 822.

Pag. 166.

Digitized by Google

gentiſſimus, cuius fidei ſi quid non ſine iniuria detrahas Chiffleti, mittet lubens exemplaria manu publica ſubſignata, ac cum autographo contrà legente altero comparata. Sed quàm tibi indulgeas videas ipſe, cùm ais nullam eſſe rationem, *cur Pipinus preces inſtitueret pro patris, & aui vxoris ſuæ animabus, & ſuorum omiſſas faceret*, cùm non te lateat Gerbergam Giſleberti Lotharingiæ Ducis relictam, iámque ſecundis nuptiis Ludouico IV. iunctam anno 967. Atlodium vocabulo *Marſnam* S. Remigio contuliſſe: *pro remedio*, inquit, *Senioris noſtri* GISLEBERTI, *ſuique parentum, patris ſcilicet & matris* RAGENERI, & ALBRADÆ, nullâ Henrici patris facta mentione. Sed vt plures cognationes in vna eadémque tabula laudatas agnoſcas, en Chartam Caroli Calui quâ Hyldraldi cuiuſdam amplam donationem laudat, in gratiam S. Quintini ea lege factam: *Videlicet vt quotidie pro anima ſanctæ recordationis genitoris noſtri*, inquit, *Domni* LVDOVICI *Imperatoris, pro ſalute quoque noſtra, nec non & pro anima beatæ memoriæ genitricis noſtræ glorioſæ Imperatricis* IVDITH, *tum etiam pro incolumitate amantiſſimæ coniugis* YRMENTRVDIS, *deuotiſſimáque prole noſtra, ſimúlque pro præſentis temporis eiuſdem Eccleſiæ rectore, cuius permiſſu atque ordinatione hæc deuotio agitur; Pro* HVGONIS *etiam olim ipſius loci Abbatis memoria, cæteriſque ſenioribus qui illi multiplicia largiti ſunt dona; nihilominus quoque pro expiatione animæ ipſius* HILDRADI, *paritérque ob remedium animarum genitoris eiuſdem ac genitricis illius*

Apud Miræum in donat. piis.

E tabulario S. Quintini Veromand.

germanique ſimul STEPHANI, *atque germanæ* IERVSALEM *vſque ad duodecim pauperes ſuſcipiantur, quibus quotidie in eorum alimentis panis vnicuique tribuatur vnus*, &c. *Data pridie idus Ianuarii indict.* I. *anno* XIII. *regnante Carolo glorioſiſſimo Rege. Actum Verno palatio in Dei nomine fœliciter. Amen.* Affectatas magis in hac charta, quàm in Briuatenſi huiuſmodi cognationes ex ſæculi nempe vſu licet obſeruare. Sufficit modò vt aduertas, Chiffleti, malè te annotaſſe Pipinum patris ſui non meminiſſe, cùm nondum fato functus eſſet, vt ex ipſius chartæ ſubſcriptione patet, quæ ſic concepta eſt: *Data* IV. *id. Mart. anno* XXIII. *Imperii Domni Hludouici ſereniſſimi Auguſti, &* XXII. *regni noſtri indict.* XIV.

Ita non minus infœliciter ex eodem monumento, minimè Madriacenſis Comitis titulum Theodeberto conuenire poſſe aſſeris, cùm de huius Comitatus nomine ne verbum quidem; Ita de *Thiebterto* non *Theodeberto* auctores loquutos eſſe contendis: ſed cùm Annales Eginarti, Metenſes ac Bertiniani hunc *Matricenſem* Comitem nuncupent, doceántque Pipinum Aquitaniæ Regem filiam eius vxorem duxiſſe, conſtet nobis modò Thetbertum in ea charta laudatum hunc eundem eſſe, cuius ſcriptores mentionem fecere; cur *Matricenſis* Comitis titulum ei negabimus, licèt in hac charta non expreſſum? Differentiam conſtituis inter *Matricenſem* Comitatum & *Madriacenſem*, quaſi non eſſet conſonantium T & D frequens ac facilis inuerſio,

vt

Digitized by Google

vt conſtat in nomine Aledramni, quem alij *Aletramnum* ſcribunt, in Cadurcis populis, quos recentiores *Caturcos* vocant, in *Ruthenis* apud quos quieſcens Tarſitia, *Rodenis* iacere dicitur, vt ex genealogiis Anſberti, & Carmine, quod bis in lucem ab aliis editum, per te nunc tertiò in lucem prodit, apertè demonſtratur: ſic Theotiſci, aliis dicuntur *Theodiſci*, Deutheria, Theoteria, Theotericus, *Theudericus*, non ſecus ac *Theodebertus*, *Theubertus*, *Theotbertus*, in qua tamen nomenclatura differentiam inſinuare videris vt altercandi ſtudium prodas, dum ais Thietberti Matricenſis auctores meminiſſe, non Theodeberti. Fateris nihilominus hunc ab Aimonio *Theutbertum*, ab Annalibus Metenſibus & Bertinianis *Theotbertum* nuncupatum: Imò & *Theodebertum* dicere debueras ſi candidiori fuiſſes animo: In margine quippe Annalium Eginarti, quos clariſſimus Ducheſnius edidit, eo loci quo nuptiæ Pipini cum *Thietberti* filia recenſentur, ex veteribus exemplaribus cum aſteriſco notat vir de re literaria optimè meritus, aliàs legi *Theodeberti*. Synonymæ ſiquidem ſunt hæ appellationes, & ab vna eadémque radice Germanica deriuatæ, vt rectè obſeruauit Cluuerius lib. I. cap. IX. Sèd cur non *Theodebertum* dices, quem alij *Theotbertum* ſcripſere, cùm hunc remotiori ſignificatione *Theodericum* vocet Conradus Abbas Vſpergenſis in Chronico, vbi ſic habet: *Pipinum verò filium ſuum Imperator in Aquitaniam miſit, cui filiam* Ad ann. 821.

THEODERICI *Comitis Matricenſis iunxit.*

Verùm non vno ſolùm, aut altero elemento Comitatum Matricenſem, à Madriacenſi diſtare contendis, ſed etiam loci poſitione; *Matricam* nempe in ortiua Francia ſitam eſſe, *Madriacum* in occidua: At quibus ratiocinationibus ſubnixa ſit argumentatio tua, diſpungamus. Prima ex Eginarti verbis trahitur ad annum 822. quæ ſic retuliſti: *Peracto conuentu qui Attiniaci habebatur; Imperator venandi gratia Arduennam petit, Lotharium verò filium ſuum in Italiam mittit.* PIPINVM *autem in Aquitaniam ire præcepit: eum tamen priùs filiam* THIETBERTI *Comitis* MATRICENSIS *in coniugium fecit accipere, & poſt nuptias celebratas ad occiduas regiones proficiſci. Ipſe verò peracta autumnali venatione trans Rhenum hyematum ad Franconofurt profectus eſt.* In Theodonis villam tunc Ludouicum Pium venationis ergo ſedem mutaſſe credis, & quia villa hæc in Mediomatricibus Auſtraſiæ populis ſita eſt, Pipinus verò antequam ad *occiduas regiones* proficiſceretur vxorem duxit Thietberti Comitis Matriacenſis filiam; inde colligis Matricenſem Comitatum in ortiua, non occidua Francia fuiſſe collocatum, ac in tuam ſententiam laudas viros doctos Fauchetum, & San-Marthanos fratres, qui *Matricenſem* Comitem, *Metenſem* interpretati ſunt. Sed præterquamquòd Regiorum ſtemmatum Interpretes peritiſſimi in hac vltima editione palá affirmant Theodebertum non *Matiſcenſem*, aut *Metenſem*, vt nonnulli voluerant,

In Pipino I. Aquitaniæ Rege.

Comitem exiſtimandum, ſed *Madriacenſem in Prouincia Normanniæ*, ex Eginarti verbis non concluditur Pipini nuptias in Orientali Francia fuiſſe celebratas, quin potiùs Attiniaci in Campania Remenſi, antequam Ludouicus Pius in Arduennam venandi gratia ſe conferret; Nec obeſt quod Eginartus, poſt hoc coniugium in occiduas regiones Pipinum remeaſſe narret, rectè Aquitaniam inter occiduas partes collocat reſpectu Campaniæ Remenſis, quæ licèt in occidua Francia ſit, Auſtraſiæ tamen contermina eſt, & ab Aquitania remotiſſima.

Sed demus erudito Cauillatori Pipinum Theodeberti filiæ in Auſtraſia nupſiſſe. Anne ideo ſequitur Matricenſem Comitatum in ea regione ſitum eſſe, quaſi cum eius Dynaſta hæc ditio obambularet, fluctuantibus inſulis aliquatenus ſimilis; aut vſui cotidiano repugnet illuſtres Regni proceres, Regum comites aſſiduos, cum familia ſua in regis aula verſari, atque adeò rationi non conſentaneum, Theodebertum Comitem, vel cum Pipino ad Ludouicum Imperatorem perrexiſſe, vel quod probabilius Imperatoris lateri cum eius liberis adhæſiſſe, indéque natam ineundi inter Pipinum & eius filiam opportunitatem coniugij, aut extra morem (licèt etiamnum vigeat) Thietberti filiam ad Pipinum Regem deductam, cùm eam ipſe ducere deberet.

Adiungis, Chiffleti, traductis Eginarti verbis

tuam coniecturam ; *Matricam* nempe oppidum eſſe ſitum inter Theodonis Villam & Treuerim hodie dictum *Greuen Makeren*, cuius denominationem vt ad *Matricam* deflectas, ais à Brouuero, & Bertelio dici *Comitis Macram*, in charta Monaſterij de Horreo *Macharam*, alibi *Machariam*, eáſq; voces à Teutonica *Makeren* expreſſas, quâ opus ex materia confectum ſignificatur, vnde à *Materia*, *Matrica* factum putas. Egregia profectò etymologia, vaníſque criticæ coniecturis inuoluta ; aduoco iudicij tui ſagacitatem, num proximior ſit *Madriacæ*, aut *Madriaci*, cum *Matrica*, vel *Matriaco* nomenclatura, quàm cum *Macheria*, *Machera*, vel *Materia*. Pergis modò, & Matricam in militari Romanorum via deprehendis, quæ ducit ad Mediomatricam, & inde ad Tullum Leucorum, ac primarium Mediomatricæ ciuitatis nomen inde ductum putas, quòd *Media* eſſet inter *Matricam*, & *Tullum Leucorum*, ſed vt in perquirendis locorum originibus infœlix es Grammaticus, ſic in eorum deſignando ſitu parum edoctus Geographus. Non enim à Matrica, quæ nulla in itinere Romano in Belgica reperitur, dicta *Mediomatrica*, ſed mutuatum eius nomen à *Mediomatricis*, vel *Mediomatricibus*, populis, quorum Ciuitas *Diuodurum*, vt conſtat ex Tacito, Ptolemæo, & Itinerario Antonini, nec eius nomen immutatum, donec pleræque ex Galliarum ciuitatibus, Gentis cui præerant appellationem ſibi propriam fecere; Id autem ſub Ammiano Marcellino contigiſſe

Ann. Treuer. in hiſt. Luxemb.

Pag. 170.

Lib. 17. c. 12.

veriſimile eſt, cùm ipſe primus ciuitates populorum nomine indigitarit, vt liquet ex his verbis: *Secunda Belgica in qua Ambiani ſunt, vrbs inter alias eminens, Catalauni & Remi.* Lib. 15. Samarobriga enim caput erat Ambianorum, & Durocortorum Remorum, ſic Treuerorum *Auguſta* dicta fuit *Treueri*; Bellouacorum *Cæſaromagus*, Bellouaci; Pariſiorum *Lutetia*, Pariſij; Biturigum *Auaricum*, Bituriges; Rutenorum *Segodunum*, Ruteni; Cadurcorum *Diuona*, Cadurci; Gabalorum *Anderitum*, Gabali; & ſic de aliis primariis vrbibus, quarum appellationes longum eſſet recenſere, quæ priſcam denominationem tunc penitus amiſere, cùm Honorij tempeſtate prodiit Notitia Prouinciarum, in qua ciuitates ſub vnaquaque Metropoli, populorum nomine quibus imperauerant, fuêre deſignatæ.

Vt falſum eſt Mediomatricam à *Matrica* dici, ſic commentitium *Matricam* in itinere Romano in Belgica deprehendi: ſi enim vt ſtatuit vir eruditus Pag. 168. oppidum eſt inter Theodonis Villam, & Treuerim, id ſanè in via militari Treuiros inter, & Mediomatrices debuit occurrere, cùm etiamnum per Theodonis Villam ad Auguſtam Treuerorum recta ſit via: At duos nobis exprimit canales Antoninus, in quibus nulla *Matricæ* mentio, quinimò Mediomatrica antiquo *Diuoduri* nomine deſignatur. Primus ſic eſt, qui ab Auguſta Treuerorum Argentoratum pergit.

Triueros,
Diuiodurum, XXXIII.
Ponte Saruix, XXIV.
Argentorato, XXII.

Alter Argentorato Treuerim reducens ſic notatus eſt,

Argentorato,
Tabernis, XIII.
Decem pagis, XX.
Diuoduro, XX.
Treueros, XVI.

Nulla igitur Manſio intermedia dicta *Matrica*, quam tamen inter *Diuodurum* & *Treueros* deſignatam eſſe oporteret, cùm per te oppidum ſit inter Theodonis Villam, & Treuerim collocatum. Abeſt etiam à Tabula Peutingeriana, quæ eandem viam notatis quibuſdam inter Treuerim & Diuodurum ſtationibus intermediis accuratiùs ſic depinxit.

Augusta Treuirorum,
Ricciaco, X.
Caranuſca, X.
Diuodurum Mediomatricorum, XLII.

Sunt & aliæ in eadem tabula militares viæ, quæ Diuodurum ſeu Mediomatricam perducerent delineatæ, in quibus ſicut in ſuperioribus Matrica deſideratur; vt in ea quæ ab *Argentorato* Tullum Leucorum tendit per Diuodurum, in qua ſanè ſi Mediomatrica inde nomen ſortita eſſet, quòd *Media* occurreret inter Tullum Leucorum, & *Ma-*

Digitized by Google

tricam, vt tibi finxiſti, *Mediomatrica* diceretur hoc loco: aut ſi vſquam in hac regione extitiſſet *Matrica*, eius ſitus ex tribus itineribus, quæ ab Argentorato Treuerim, aut Tullum Leucorum medio Diuoduro perueniunt, deprehenderetur. Sic habet tabula Peutingeriana.

Argentorate,	
Tabernis,	
Ponti Sarraui,	XII.
Ad decem pagos,	X.
Ad duodecimum,	XII.
Diuoduri Mediomatricorum,	XII.
Scarpona,	XIV.
Tullio,	X.

Cùm non in his igitur occurrat itineribus *Matrica*, fruſtrà hanc quæremus in aliis duobus, quæ à Durocortoro Remorum, Diuodurum pergunt; vt omnia tamen loca perluſtremus, ne tibi ſuperſit aliquis effugio commodus, has manſiones notabimus.

A Durocortoro Diuodurum vſque M. P. LXII. *Sic:*

Baſilia,	X.
Axuennam,	XII.
Virodunum,	XVII.
Fines,	VIIII.
Ibliodurum,	VI.
Diuodurum,	VIII.

Alio itinere à Durocortoro Diuodurum vſque M. P. LXXXVII. *Sic:*

Fanum Mineruæ,	XIIII.
Ariolam,	XVI.
Caturigas,	IX.
Naſium,	IX.
Tullum,	XVI.
Scarponam,	X.
Diuodurum,	XII.

Vides quàm diligentiſſimi fuerint metatores in deſcribendis itineribus Romanis, quæ vtramque Belgicam, veluti lineis diſcurrentibus interſecabant ad maiorem ſtationum muniendarum, quibus abundabat hæc regio, facilitatem: attamen in nullâ publica via extat tua *Matrica* Chiffleti, ſed ea ſolùm reperitur, quæ in Pannonia ſecunda, inter *Annamatiam*, & *Vetuſſalinam* ab Antonino recenſetur, quæ ab eius quam deſcribis ſitu ducentis ferè leugis remota eſt. Illius tamen nomen ad tuam notationem trahere voluiſti, ac incautum decipere lectorem, licèt te non lateat eam eſſe Matricam, cuius meminit Notitia Prouinciarum, in qua ſub Duce Valeriæ Ripenſis, aſſignati ſunt *Equites promoti Matricæ*.

Cùm nulla ergo in Orientali Francia ſit Matrica, ſupereſt, vt eam in occidua inueſtigemus: At eius ſitum, limites, ac loca præcipua apprimè delineauit Dubouchetus: Nec in eo cauillandum, quòd is Comitatus, modò *Matricenſis*, nunc *Madriacenſis*

Digitized by Google

driacenſis nuncupetur; promiſcua ſiquidem fuit hæc appellatio, nam feſtum S. Leufredi, quod *in pago Madriacenſi* celebrari notat editio Vſuardi à Molano procurata, vetus exemplar manu exaratum habet *in pago Matricenſi.* Sic charta S. Maglorij apud Pariſios anno 1169. exarata, Eccleſias S. Dionyſij, S. Leodegarij, & de Mairolo, *in poteſtate Matriaca* ſitas denotat, quam eandem eſſe cum *Madriacenſi* dubio locus eſſe non poteſt, cùm eam *poteſtati Piſſiacenſi* ſubiungat, in qua Eccleſia de Vernolio eidem S. Maglorij Monaſterio cum aliis ſuprà laudatis adſcripta: eas verò ditiones, veluti conterminas Carolus Caluus iamdudum expreſſerit, capitulari Siluaci ſancito anno 853. quo Burchardum Epiſcopum, Rhodulfum & Henricum Abbates in his pagis conſtitutos Miſſos ſic declarat: *Burcardus Epiſcopus, & Hrodulfus, & Heinricus Abba miſſi in Bleſiſo, Aurelianenſi, Vinduſniſo, Carentino, Durcaſino, Duniſo, Ebricino, Stampiſo, Caſtriſo,* PINCESISO, MADRECISO. Nomen autem pago inditum ex fluuiolo, qui hunc præterlabitur, & in antiquis monumentis *Matria* dicitur, certiſſimũ puto: multa enim ſunt nobilia non modò oppida, ſed primariæ ciuitates, quæ à fluminum vicinitate nomen mutuatæ ſunt, vt Illiberis, & Ruſcino, quibus ſi fides Straboni ex duobus fluminibus à Pyrenæis in Mediterraneum mare non procul à Narbona defluentibus, nomen impoſitum. Ipſe etiam Narbo Martius dictus Colonia *Atacinorum*, propter *Atacem* fluuium, Lib. 4.

Z

Digitized by Google

& in eadem Narbonenſi *Soricinum* à Sorore amne vocitatum : quare clariſſimi viri ſententiam non amplector, qui Comitatum *Madriacenſem* à quodam loco, cui *Madrui* nomen, nuncupatum exiſtimat, cùm maior ſit ratio *Matriam* amnem, non *Madrui* modò, ſed Matricenſi pago propriam ſibi denominationem communicaſſe.

CAPVT III.

ROBERTVS *Fortis, filius fuit* ROBERTI THEODEBERTO *Matricenſi Comite geniti, non autem* CONRADI *Welphonis filii.*

THEODEBERTVM Matricenſem Comitem Roberti Saxiaci vici domini patrem fuiſſe, apertè colligitur ex lib. 2. auctoris vitæ Sancti Genulphi Epiſcopi Cadurcenſis: Aganam verò Wifredi Comitis Bituricenſis filiam Roberto matrimonio iunctam; *Qui Robertus*, inquit, *ad ſuæ nobilitatis excellentiam Regalis etiam ſtemmatis per ſororem*, Ingeltrudem ſcilicet Theodeberti filiam, *adeptus erat conſortia, quam iſdem Domnus Pipinus uxorem duxerat, de qua Pipinum & Carolum liberos, totidémque filias habuit.* Vita ſancti Iacobi Eremitæ earundem nuptiarum mentionem facit, notátque præterea Robertum ex Regum Francorum genere ortum, quia ſcilicet ex eodem

Digitized by Google

ſtipite, quo Reges qui tunc imperabant originem duceret. *Robertus ſiquidem*, inquit, *Saxiaci vici, & circumiacentis regionis dominus, vir potens & nobilis, ex Regum Francorum genere ortus erat, & quod optabilius eſt, Chriſtiana pietate inſignis, cui affectu, & origine reſpondebat vxor eius nomine* AGANA *ex patre* WICHFREDO *Comite quondam Bituricenſi* REGALI PROSAPIA *exorto, & matrona* ODA *nomine, filia, & hi omnes à ſanguine Regio Francorum traxerant originem.*

Hunc *Robertum* alterius *Roberti*, quem *Fortem* dicimus genitorem fuiſſe manifeſtè probatur, ex charta Monaſterij Sancti Martini Turonenſis ſub Odone Rege conſcripta, in qua Robertus Roberti Fortis filius antequam rex proclamaretur, & ſolo Comitis & Abbatis S. Martini titulo gauderet, *Dociacum* Villam confert in pago *Pictauenſi*, meminítque *Odonis* germani ſui, *Roberti genitoris* eiúſque vxoris *Adelaidæ*, nec non *Roberti* Comitis *aui ſui.* Hanc chartam firmat index Priuilegiorum S. Martini Turonenſis à Franciſco Courtino Canonico anno 1540. concinnatus, in quo ex veteri charta refert *Robertum* Comitem Andegauenſem, filium fuiſſe *Roberti.*

Dubouchetus probat, pag 110. 2. parte.

His opponit Chiffletius, nullas in pago Bituricenſi, aut circumiacentibus Robertum Fortem ditiones poſſediſſe, vnde colligi poſſit illum Roberto potentiſſimo in Aquitania viro genitum, licèt citra Ligerim variis eſſet diues Caroli Calui donis: At antequam ſub Carolo Caluo militaret,

Digitized by Google

in Aquitania Robertum Fortem domicilium ſtatuiſſe, & Pipini II. Aquitaniæ regis partibus ſtetiſſe indicant Annales Bertiniani, ex quibus prætereà docemur Carolum Caluum vt eum à Pipino reuocaret, & Danis oram Sequanæ depopulantibus occurreret, ipſum Meiduni ſuper Ligerim conueniſſe, Ligeris verò Aquitaniæ limes erat; ſic enim habent ad annum 859. *Aquitani ad Carlum puerum omnes pene conuertuntur: Pipinus* ROTBERTO *&* *Britonibus ſociatur*, &c. Anno DCCCLXI. *Dani qui pridem Morinum ciuitatem incenderant, de Anglis reuertentes Duce Welando cum ducentis & eo ampliùs nauibus per Sequanam aſcendunt, & Caſtellum in inſula quæ Oſcellus dicitur, à Nortmannis conſtructum, & eoſdem Nortmannos obſident: Ad quorũ obſidentium videlicet locarium, quinque millia libras argenti cum animalium, atque annonæ ſumma non modica de regno ſuo ne deprædaretur, exigi Carolus præcepit, & Sequanam tranſiens Meidunum ſuper Ligerim adit,* RODBERTVM *cum placitis honoribus recipit.* Morabatur ergo priùs Robertus Fortis cum Pipino citra Ligerim in Aquitania: At poſſeſſiones amplas inibi poſſediſſe binæ inſinuant chartæ. Primâ iam laudatâ, Robertus Roberti Fortis filius Monaſterio Sancti Martini Turonenſis confert *Prædium ſitum in pago Pictauenſi, Dociacum ſcilicet, cum omnibus ſuis appendiciis*, quod ex Agana eius auia ad eum perueniſſe procul dubio eſt. Alterâ, Hugo Magnus Roberti Regis filius, Roberti Fortis nepos Caſtellionum Caſtrum ſuper

Indram, quod ſibi ex materna hæreditate nempe Aganæ eius proauiæ obueniſſe aſſerit, eidem cœnobio largitur. Sic charta concepta eſt. *Nos in Dei nomine* HVGO *Rector Abbatiæ S. Martini de tantis omnipotentis Domini promiſſionibus bene ſecuri, concedimus pro amore eiuſdem omnipotentis Dei, atque ſancti Martini egregii Confeſſoris ſui, & eleemoſyna Domini genitoris noſtri* ROBERTI *Regis, ac genitricis noſtræ Dominæ* BEATRICIS, *atque noſtra, omniúmque parentum noſtrorum, Alodum iuris noſtri, quem ex* MATERNA HÆREDITATE *iure & legaliter mecum quieto ordine poſſidere videmur,* CASTELLIONVM *nomine, cum Eccleſiis, id eſt Spauciacum, & Pometum, atque Sauſiacum ſitum in pago* BITVRICENSI, *cum omnibus rebus ad ipſum Alodum pertinentibus, & in ipſo pago ſitis,* &c. *Data* VII. *Kalend. April. Turonis in Caſtro ſancti Martini in Baſilica ante ſepulchrum ipſius anno* VIII. *Regnante Domno Rodulpho Rege glorioſiſſimo.*

Nihil Beatricem Veromanduam Hugonis Magni matrem, nihil Adelaidem eius auiam Ludouici Pij filiam in Aquitania poſſediſſe legimus, perſpicuum ergo eſt Caſtellionum ad ipſum ex Agana ipſius proauia perueniſſe, eiúſque deinde beneficio ad ſanctum Martinum Turonenſem, vt præter chartam iam laudatam notauit breue Chronicon ex Bibliotheca Thuana à Ducheſnio editum. Sic quippe habet. *Hugo Abbas filius* ROBERTI *Abbatis poſtea Regis, dedit S. Martino Caſtellionum in Pago* BITVRICO *& Marciniacũ in pago Turonico anno Rodulfi* VIII. Tom. 3. Collect. hiſt. Franc.

Digitized by Google

Pag 171. Pergit Chiffletius, affirmátque chartam à Duboucheto editam quâ tres ordine Roberti recenſentur, eſſe commentitiam, & ab illo adinuentos eiuſmodi cognationis gradus; ſed quâ ratione ſibi fidem impoſterum adhiberi velit vir eruditus, videat ipſe qui ſic aliis imprudens imponit. Vera ac genuina eſt hæc charta è tabulario S. Martini deprompta, nec eam Chiffletius reuocaret in dubium ſi quod de Hugone Capeto ſtemma edidit, ſuppoſititium non demonſtraret. Nec eſt quòd dicat Ducheſnium origine Turonem eximium & ſagacem Virum, ac de Hugonis Capeti origine iamdudum ſollicitum, qui chartas omnes Martinianas excuſſerat, nihil tale vnquam de Roberti Fortis origine retuliſſe; ſed quid ex eius mente, ac ſingulari ſtudio ſcripſerit clariſſimus Autuellius videſis in eius adminiſtrorum Regni Franciæ eleganti Hiſtoria, aut Chiffleti, ſi velis ab eruditis inquire, qui cum tanto viro familiariter agebant, num hanc, quæ prodit in lucem Capeti originem primus ipſe aperuerit longo tractatu poſteris concinnandam, ni conſilium eius mors immatura præueniſſet. Ais deinde perperam Courtini Canonici qui Priuilegiorum ſancti Martini indicem digeſſit, ſententiam proferri, cùm non ex charta loquutus ſit; ſed hoc ex ipſius Courtini ſcripto falſum deprehenditur, in quo ſic loquitur: ROBERTVS *Comes Andegauenſis filius* ROBERTI *conceſſu Caroli Calui fuit Abbas in Monaſterio Beati Martini, vt habetur*

in PRIVILEGIO SVO ANNO DCCCLXVI.

Inſtat adhuc Chifletius,& doctiſſimos San-Martanos fratres in arenam deducit, qui ex veterum chartarum eiuſdem Monaſterij antigraphis, *ſcribunt, Carolum Caluum Regem commiſiſſe, domus illius adminiſtrationem* ROBERTO *Comiti Andegauenſi ſtirpe Saxonico, & RICHARDI filio.* Sed quam opinionem poſtremò amplexi ſint viri graues, videat Francici nominis hoſtis infenſiſſimus: aduertat præterea facilem fuiſſe *Richardi* in *Robertum* deflexionem, cùm in autographo primarium Roberti elementum ſolum,& ſine adiecto expreſſum eſſet. Hæc enim per ſingulas literas in veteribus monumentis ſcribendi ratio, non leues in noſtram hiſtoriam errores induxit, nam ne extra Roberti genus progrediar, in veteri anonymo Aquitanicæ hiſtoriæ ſcriptore, cuius exemplar penes me habeo, Odo Rex Roberto Forte natus, *Raimundi Comitis* Lemouicenſis dicitur filius, quod tamen à vero alienum omnes probè norunt. Lib 11.c. 7

Sed ecce præcipuam eruditi viri machinam, dum ſic Dubouchetum alloquitur, *Cùm Principes plerique in Gallia illo æuo Roberti nuncuparentur, chartæ tuæ (etſi legitimæ eſſent, nec vti reuera ſunt, interpolatæ) nullo modo conuincerent patrem Roberti Fortis fuiſſe Robertum Thietberti Comitis Matricenſis filium; quin ſuaderent potiùs Conradum Ducem Roberti Fortis parentem* διώνυμον *fuiſſe. Conſtat quidem ex Herrico Hugonem II. Abbatem fuiſſe filium Conradi: Aimonius tamen Floriacenſis illum facit* Pag. 175.

filium Roberti ; quod ſi de Roberto Forti intelligamus, abſque dubio gloſſema eſt : ſi autem de Conrado qui Robertus etiam dictus fuerit, Conradum Robertum ſic habebimus, Roberti Fortis, & Hugonis Abbatis patrem, adeóque iſtos eius filios inter ſe germanos fratres. Verùm non ſufficit, Chiffleti, ſæculi morem laudare, vt *Conradum*, binomium nobis inſinues, debes hunc aliquo antiquitatis monumento, *Robertum* etiam nuncupatum oſtendere. Nec pro te pugnat Aimonij Floriacenſis auctoritas, qui Hugonem Abbatem *filium* Roberti Fortis indicat, eius enim matrem Conradi relictam vxorem duxerat Robertus, vt infrà probabimus, eáque cauſa eſt, cur Hugonem priuignum eius, *filium* dicat Aimonius, cùm huius vocis ſignificatio, ad *filiaſtrum* etiam extendatur, qui filium imitatur.

Valla lib. 1.

Sed ne quis ſcrupulo ſuperſit locus, licèt tempora, quæ in genealogiis maximè ſpectanda, apprimè conueniant, vt Robertum à charta ſancti Martini Turonenſis Roberto Forti patrem aſſignatum, eundem eſſe credamus, quem Theodeberti filium ex vita S. Genulfi colligitur, & Saxiaci regioníſque circumiacentis dominum teſtatur vita S. Iacobi, iiſque ſuffragentur primùm in Aquitania Roberti Fortis domicilium, amplæ deinde ditiones, quas eius nepotes in Pictauenſi, ac Bituricenſi pago ex materna, ſeu auita Aganæ ſucceſſione poſſedere : alio tamen hæc ſententia validiſſimo confirmatur argumento. Robertus enim Comes

&

& Abbas S. Martini chartâ datâ x. *Kalend. Martii* Duboucheti monumenta pag. 245.
anno XXVII. *regnante Domno Carolo glorioſiſſimo Rege indictione* XV. id eſt anno 867. confirmat donationem bonorum, quæ olim S. Martino Turonenſi conceſſerat *Odo Comes Aurelianenſis auunculus eius*, nec non *Willelmus* Odonis filius: Hunc Odonem Ludouici Pij *conſobrinum* vocat auctor anonymus Vitæ Ludouici Pij ad ann. 829. eandémque cognationem firmant Annales Bertiniani ad annum 869. dum *Willelmum Odonis quondam Comitis Aurelianenſis filium*, Caroli Calui *ſobrinum*, ſecus Syluanectum capite truncatum referunt; vnde ſequitur Odonem non ſecùs ac Ludouicum Regali ſanguine fuiſſe procreatum: Idémque dicendum de Roberto Forti, qui dum Odonem *auunculum* ſuum vocat, apertè denotat hunc Roberti I. fuiſſe fratrem: *auunculus* enim apud mediæ ætatis auctores, ac præcipuè Gallos pro *patruo* vſurpatur, vt ipſe Chiffletius Pag. 201.
agnoſcit, nóſque iam antè docuimus in Aſſertore Gallico, dum Childebrandum in Nibelungi Chronico Pipini Ducis, ac deinde Regis *auunculum* dictum animaduertimus, quamuis Caroli Martelli frater eſſet, ac proinde Pipini patruus: At Robertus Theodeberti Matricenſis Comitis filius in vita S. Iacobi ſuprà laudata, *ex Regum Francorum genere ortus* dicitur: ergo idem ille eſt qui *Odonis* Comitis *frater*, ac Roberti Fortis *genitor* ex iam præmiſſis de ſanguine Regali Francorum fuiſſe conuincitur, vt ex ſubiecto ſtemmate faciliùs conſtabit.

1. PIPINVS Heriſtallus.

2. CAROLVS MARTELLVS. — CHILDEBRANDVS Dux.

3. PIPINVS Rex. — NIBELVNGVS Comes.

4. CAROLVS Magnus Rex, pòſt Imperator. — THEODEBERTVS Matricenſis Comes.

5. LVDOVICVS Pius Rex & Imperator. — ODO Comes Aurelianenſis *Auunculus* ROBERTI II. & *conſobrinus* Ludouici Pij. — ROBERTVS I. Dominus Saxiaci. — GVILLELMVS Comes Bleſenſis.

6. CAROLVS Caluus Rex Francorum & Imperator. — VVILLELMVS Caroli Calui *Sobrinus*. — ROBERTVS Fortis Odonis Comitis Aurelian. *nepos*.

Non ergo Robertus Fortis *Conrado* genitus, ſed *Roberto* Saxiaci domino, aut ſi Conradum, *Robertum* etiam dictum velit vir eruditus, Conradum non *Vvelpho* natum, ſed *Theodeberto*; nec illius auum *Iſembertum Vvarinum* Altorfi Principem, ſed *Nibelungum* Comitem etiam vel inuitus agnoſcet. Quare depoſito Hiſpanico turgore, veritatem cui ſe litare prædicat, amplectatur, méque non perperam, ſed ex firmiſſimis antiquitatis monumentis, Robertum Fortem ex eadem ſtirpe qua Reges Carlouingios, deduxiſſe impoſterum æquâ mente fateatur.

CAPVT IV.

Cur ROBERTVS *Fortis Saxonici generis ab auctoribus nuncupatus.*

ROBERTVM Fortem *Saxonici generis virum* ideò ab auctoribus vocari in Vindiciis Hiſpanicis dixit Chiffletius, quòd eius paterna auia Vvelphi Comitis vxor, Saxonica eſſet; modò cùm hæc ſententia ſtare non poſſit, quia non *Vvelphum* auum agnoſcit Robertus Fortis, ſed *Theodebertum*, proprio quaſi præiudicio damnatus, Germanos aliàs Saxones inde dictos variis exemplis probat, quòd *Cæſares ſtirpe Saxonici in Germania multis annis ſceptrum obtinuerint.* Cap. 1. Pag. 171.

Sed cùm adhuc Roberti tempeſtate nulli ex gente Saxonica Cæſares in Germania imperarint, ſequitur nondum Germaniam, *Saxoniam* nuncupatam, ac proinde Robertum non ex regione, quæ niſi interiecto ferè ſæculo, tale nomen ſortita eſt, *Saxonicum* dictum. Hoc tamen demus literato viro; non inde Roberti Fortis origini vti eam dedimus, quid detrahitur, cùm ſi per illum Germani *Saxones* ſint, erit Robertus genere *Saxonicus* ob Pipinum Heriſtallum eius abauum, qui ab *Heriſtallo* villa in Germania inferiori ſita, Heriſtallus cognominatus eſt. Veruntamen Duboucheti potiùs ſententiam amplector, cùm certum ſit Saxo-

Robertus Fortis obiit anno 867. Henricus I. Rex Germanorum anno 919.

Digitized by Google

nes non modò in II. Belgica, & Britannia, ſed in Lugdunenſi II. & III. pedem fixiſſe: *Littus* enim *Saxonicum* à tractu Armoricano protenditur ad Caliſium. Felix etiam Nannetenſis Epiſcopus à Fortunato laudatur, quòd *Saxones* Chriſtianam religionem edocuerit, & in veteri charta Ludouici Pij *Gauzlenus* Comes Cenomanenſis, *Comes & SAXONIAE PATRIAE Marchio* nuncupatur. Hanc autem Sequanam attigiſſe, indicat perantiqua Caroli Calui donatio, cuius exemplar extat in Maiori monaſterio, quâ Goſleno Abbati S.
Ann. 876. Germani concedit *per SAXONIAM in Neuſtria Sequanica, in Oximo Saonas, in Ebregiſo Fauillas, in Pinciacenſi Villarem.* Normannis *Sequanenſibus* portionem Abbatiæ Crucis S. Audoëni, quæ ſita eſt in *Madriacenſi pago*, Pinciacenſi contermino, attribuit
Extat exemplar apud Continuat. Aimon. lib. 5. Carolus Simplex anno 918. & in eadem Sequanæ decurrentis regione *Madriacenſem* pagum ſitum eſſe, oſtendit capitulare Caroli M. ex MS. Metenſi depromptum. *In Cenomanico, Hoxomenſi, Liſuino, Baiocaſſino, Conſtantino, Abricantino, Ebrecino, & MADRIACENSI, & de illa parte SEQVANAE RODOMENSIS, Magenardus Epiſcopus, & Madelgaudus.*

Non tamen is tractus licèt Saxoniæ finibus at-
Anno 1107. in Hiſtoria S. Martini de Campis. tributus, *Saxoniæ*, vel *Saxenſi* paruit Epiſcopo: Ita enim Yuo *Sagienſis* in actis dedicationis S. Martini de Campis nuncupatur, & Patratus in Epiſcoporum Sagienſium indice prætermiſſus, in ſermone
In Auguſta Veromanduorum de tranſlatione corporis ſancti Quintini in Vero-

mandatis: *Anno* 825. *Chriſti incarnationis, ſiquidem Ludouici Imperatoris* 12. *necnon ipſius Abbatis*, Hugonis ſcilicet Caroli Magni filij, 2. *die* 8. *Kal. Nouembris, conſultu præfati Imperatoris, aliorúmque bonorum hominum plurimorum*, EICHARDVM *Epiſcopum Nouiomatenſem, & Simeonem Pontificem Laudanenſem, ac* PATRATVM SAXONIÆ PRÆSVLEM, *duóſque eorum Chorepiſcopos, atque Sacerdotes, & alios quamplurimos Dei miniſtros conuocans, ipſum ſacrum, &c. corpus eleuans, optimo loco, quo & nunc optimè iacet tumulatum, decentiſſimè ſepeliuit* Abbas Hugo. Saxoniam hanc in vicaria Corbonenſi poſitam indicat nos vetuſtiſſimus codex ſancti Germani à Pratis, qui de nomine Abbatis *Irminonis* inſcribitur *Irmino*, continétque indicem poſſeſſionum huiuſce Monaſterij: *In pago Oxlmenſi*, inquit, *multa habet ſanctus Germanus in locis his, in centena* CORBONENSI *in villa Pontis, curtis Saonis, Landas; curtis Angeli, Gauarricas*, &c. *Rotuis villaris curtis* SAXONIÆ *in eadem vicaria Corbonenſe*. Olim ibi monetam obſignatam docent nos plures Caroli Magni, & Caroli Calui nummi argentei, quorum circulus interior in auerſa parte hanc inſcriptionem præ ſe fert, CVRTE SAXONIÆ. At quia ſancti Germani codex hanc in Vicaria Corbonenſi collocat, Corbonenſes verò Ordericus Vitalis non longè ab Aquila poſitos deſignat Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lib. 4. ad annum 1073. certum eſt *Saxoniam* in Normannia ſitam eſſe, cùm in hac Prouincia extet Aquila ab aquilæ nido in quercu reperto

Claudij Hemeræi circa finem pag. 18.

dum caſtrum hoc à Fulberto ædificaretur, ſic denominata. Hunc autem locum tractui *Saxoniæ* appellationem dediſſe, ab antiqua in eo Saxonum ſede eò faciliùs mihi ſuadeo, quòd *Saxones Baiocaßinos* memorauerit Gregorius Turonenſis, & Carolus Caluus in Capitularibus territorium quoddam Cenomanenſi conterminum, *Otlinguam Saxonicam* nuncupauerit, ob vulgarem ſine dubio in eo tractu linguæ Saxonicæ ſermonem.

Si Saxonia igitur Neuſtriæ partem faciat, in qua prædiuites fuere Roberti Fortis maiores, non immeritò *Saxonicus* dicitur; aut forſan ſcriptores quibus parum notus *Saxiaci* vici in Bituricenſi pago ſitus, cuius Dynaſta fuerat Roberti pater, conformitate nominum decepti Robertum Fortem *Saxiacæ* gentis virum, *Saxonici generis* exiſtimarunt.

Quòd ſi de Saxonibus à Carolo Magno deuictis cogitarunt, illorum errorem quæ ſuprà diximus, aliàque à Duboucheto, & clariſſimis fratribus SanMarthanis annotata, ſatis ſupérque detegunt, quibus ad huius capitis corollarium addam, Robertum Fortem in charta ſuprà laudata Odonem Aurelianenſem Comitem, *Auunculum ſuum* ſeu Patruum ciere. At huic Odoni, fratrem Vuillelmum nomine Comitem Bleſenſium aſſignat Adreualdus Floriacenſis lib. 1. de miraculis ſancti Benedicti, dum hunc cum Teutone Abbate ſancti Martini, Guidone Comite Cenomanenſi mortem oppetiiſſe

narrat : Fuit igitur Vvillelmus iſte ſicut Odo Roberti I. frater , & Theodeberti filius ; huic verò Willelmo carmen inſcripſit Goſbertus Monachus, quod ſic incipit :

FRANCIGENVM *primo, Proauis, Abauiſque peralto* GVILLELMO:

Vnde conſequens eſt Robertum Fortem eius nepotem, ex eadem Francorum natione prodiiſſe, non autem è Saxonica ; niſi quatenus *Saxoniæ* tractus in Neuſtria poſitus Madriacenſem Comitatum amplectitur, è cuius Dynaſtis Robertus Fortis traxit originem, vnde ab Abbone in carmine de obſidione Lutetiæ ODO Roberti Fortis filius *Neuſtricus* appellatur.

CAPVT V.

Paternum HVGONIS CAPETI *genus à Vvelpho deductum , germanum eſſe perperam iterum à Chiffletio demonſtratur.*

SI cum minùs moroſo , ac difficili res mihi fuiſſet, cùm ex certiſſimis monumentis conſtet Robertum Fortem , Roberti alterius fuiſſe prolem, profligata iam eſſet cauſa Conradi , nec quis in poſterum , illum Roberti Fortis patrem, nec Welphum Conradi genitorem , illius auum exiſtimaret. Sed

cùm Chiffletius in eadem permaneat ſententia, quia ex Annalibus Bertinianis & Herrico Autiſſiodorenſi, Hugonem II. Abbatem Conradi Ducis *filium* fuiſſe pro comperto habet, Hugonem verò Roberti Fortis *fratrem* ex Chronico Diuionenſi falſò aſſerit, ac per conſequens Robertum eodem patre genitum; pertractanda nobis iterum, quæ iam recoxit, argumenta. Ait ergo ſic conceptum eſſe Chronicon Diuionenſe, *Supererant duo filii* ROBERTI *Andegauorum Comitis* FRATRIS HVGONIS ABBATIS, *ſenior* ODO *dicebatur*, ROBERTVS *alter patrem nomine referens*: At loco *Fratris* ſcriptum *Fratres* ex ipſius Chronici apertâ lectione aliàs notaui, quâ ratione non *Roberti Fortis*, Hugo Abbas *frater* efficitur, ſed *filiorum* eius *Odonis & Roberti*, vnde non immeritò in cauſa falſi contra Chiffletium nomen edidi.

Verùm eo ſe crimine purgare tentat vir eruditus, quia nonnulli ex recentioribus ex corruptis Chronici Diuionenſis exemplaribus, eandem lectionem ſequuti ſunt, veluti Nicolaus Vignerius, Papirius Maſſonus, Franciſcus Belleforeſtius, Claudius Fauchetus, Alphonſus *Delbene*, Scipio Dupleix, ac Gallicus vindex anonymus; quaſi præuius aliorum error eius culpam eluat, aut minuat: doctiſſimos autem viros erraſſe palam facit antiquiorum ſcriptorum auctoritas. Agmen ducit Albericus in Chronico in quo ſic legitur: *Et hac opinionem habemus ex collectaneo S. Benigni, vbi dicitur*

dicitur quod Rex ODO *& Robertus* FRATRES *fuerunt* HVGONIS *Abbatis.* Huic ſuffragatur Chronicon Beſuenſe, cuius autographum extat in Bibliotheca Regia: *At* HVGONE *vltimos vitæ ſuæ claudente ſoles, Ludouicóque Principe poſt adminiſtratum vt diximus biennio regnum, diem obeunte, Carolus qui Simplex poſtea eſt dictus, in cunis æuum agens, patre orbatus remanſit. Supererant duo filii* ROTBERTI *Andegauorum Comitis* FRATRES *Hugonis Abbatis, ſenior* ODO *dicebatur,* ROBERTVS *alter patrem nomine referens*: quæ vltima verba eadem illa ſunt quæ in Chronico Diuionenſi deſcripta. Eiuſdem ſententiæ auctor nondum editus Geſtorum Warnerij præpoſiti in Eccleſia ſancti Stephani Diuionenſis, cuius auctoritas Diuionenſe Chronicon eo magis firmat, quòd vterque auctor Diuione ſcripſerit: ſic ille habet: KAROLO *iam adulto* ODO *regnum reddidit, à quo pro bonitate parte Regni muneratus eſt. Ipſe* ODO, *&* ROBERTVS *fuerunt filii Roberti Andegauorum Comitis* FRATRES HVGONIS *cognomento Abbatis.*

His opponit Chiffletius cùm ſibi iugulum inſtare videret, Chronicon Diuionenſe, quod nos autographum dicimus, ſequioris æui fuiſſe apographum mendoſum & interpolatum, cuius praua ſcriptura iam laudatos auctores deceperit, primigenium verò, & veterrimum exemplar in Germaniam à Vignerio delatum, vbi vitandis ciuilibus Galliæ diſcordiis per duos annos egerat, deſiderari. Videat æquiſſimus lector quàm belle ſit effu- Pag. 181.

gium hoc excogitatum : Exemplar Chronici Diuionenſis manu propria deſcripſit clariſſimus vir Pater Vignerius, Nicolai nepos, Congregationis Oratorij apud S. Maglorium Pariſiis Præfectus, qui hunc illum eſſe codicem, quo auus eius vſus eſt, palam agnouit. Id teſtantur ſancti Benigni Diuionenſis ſacri Cimelij cuſtodes, id arguit ipſa codicis ſcriptura perantiqua, ex cuius inſpectione, ſi te condemnatum iri non detrectas, Chiffleti, Reuerendum fratrem tuum Societatis Ieſu Preſbyterum nunc Diuione verſantem, iudicem non recuſo. Fruſtra igitur laboras, dum Albericum malè deſcripto ex archetypo exemplari deceptum putas, non enim in eo deceptus quòd Odonem & Robertum, Hugonis Abbatis *fratres* aſſeruerit, ſed quòd eo loco Reginam Hugonis Caroli Magni nothi, matrem, Roberti Fortis vxorem putauerit, ac Hugonem Conradi filium cum alio confuderit, licèt varias ac inter ſe diuerſas perſonas ex iuſta temporum collatione, vt rectè aduertiſti, poſſet deprehendere. Quare non falſa Chronici Diuionenſis ſcriptura, ſed falſa Alberici in eius explicatione coniectura, cùm illi nondum innotuiſſet Robertum Fortem Adelaidem Hugonis matrem Conradi relictam vxorem duxiſſe, ac per conſequens rectè à Chronico Diuionenſi, Odonem & Robertum, Roberti Fortis liberos, Hugonis Abbatis fratres nuncupari, vterinos ſcilicet non germanos. Non ergo vt ais gloſſema eſt, quod in

Pag. 184. Lomin. 4.

Chronici Diuionenſis margine ſcriptum eſſe teſtati ſunt doctiſſimi viri Perardus & Dumaius, *Odonem* ſcilicet *fratrem* fuiſſe *Hugonis*, & *Roberti* Andegauorum Comitis, cùm ea fuerit ipſius Chronici recta ſententia.

Cæterùm grates ago, quòd in tuo Alberici codice ad annum 888. legatur Odonem fratrem fuiſſe *ex matre Hugonis Abbatis*, cùm in eo quem in manibus habui ſcriptum ſit *ex patre*, vnde ſuſpecta mihi fuerat hæc lectio. Non hoc tuæ prodeſt opinioni ſed meæ, nam licèt ſubiungat Albericus Odonem fratrem fuiſſe *ex matre Hugonis Abbatis filii Karoli Magni ex Regina*, hæc comparanda ſunt cum iis, quæ ad annum 988. fuſè retulit, vbi cùm ex Chronico Diuionenſi accepiſſet, Odonem & Robertum Roberti Fortis filios, Hugonis Abbatis *fratres* extitiſſe; hunc Hugonem Abbatem pro Caroli Magni notho falsò accepit, indéque Reginam eius matrem Roberto Forti nuptam ſibi finxit, quare ex eius aperta mente, manet Chronici Diuionenſis germana lectio confirmata, cùm duobus in locis conſtanter Odonem Regem Hugonis *fratrem* memoriæ mandarit. Pag. 186.

CAPVT VI.

ODONEM & ROBERTVM *Reges, non fuiſſe Fratres vterinos* HVGONIS ABBATIS, *malè à Chiffletio probatur.*

Pag 187. VT mentem ſuam probet Chiffletius, ait Duboucherum aſſerere, Robertum ex Adelaide quinque liberos ſuſcepiſſe; quamuis obſtet, vt ſibi ſuaſit, iuſta temporum ſeries. Ponit etenim Conradum anno 862. extremum obiiſſe diem, Robertum verò anno 865. vel 866. vnde ſi Adelais Conradi relicta Roberto nupſit, demto luctus anno ſupererunt ex eius ſententia, *duo vel tres, quibus ex naturæ ordine, & ſtatuto, Adelaid vitales proles edere quinquies non potuit;* ex quo Robertum Fortem coniugio iam anteà illigatum colligit, *adeóque Odonem & Robertum, Fortis filios, non fuiſſe fratres vterinos Hugonis II. Abbatis, qui ſine controuerſia filius fuit Conradi & Adelaidis.*

Verùm quamuis ex inſtituto Chiffletij numerus annorum non conueniat, vt Adelais quinos partus ediderit, non inde tamen ſequitur Odonem & Robertum, Roberti Fortis liberos, Hugonis Abbatis fratres vterinos non fuiſſe, cùm iuſta ſint ſpatia, vt Odonis & Roberti, Adelais mater eſſe poſſit. Quare probandum foret Adelaidem ante

Digitized by Google

Conradum fato functam, quod tamen nuſquam Chiffletius præſtabit, cùm conſtet Adelaidem Roberti Fortis vxorem fuiſſe, & Odonis ac Roberti genitricem.

Sed quàm ſubdolè in hac cauſa verſetur vir de literis optimè meritus, videat æquiſſimus lector; quatuor, non quinque liberos aſſignat Roberto Forti Dubouchetus, Odonem ſcilicet, & Robertum Comites Pariſienſes, ac deinde Reges, bináſque filias Richildem & Hildebrantam, quorum omnium nulla ratione violato naturæ ordine Adelais mater extitit: Nam licèt XIV. Kal. Mart. anno 862. Conradum ex necrologio S. Germani Autiſſiodorenſis obiiſſe conſtet, addito etiam integro luctus anno, quatuor ſupererunt, vt ſingulis annis prolem edat: Robertus enim Fortis non ann. 866. vt Annales Bertiniani volunt, à Normănis occiſus, ſed ſequenti, vt ad annum 867. Regino, & Annales Metenſes fidem faciunt, quare ab anno 862. vſque ad annum 867. legitima ſunt interualla, vt Adelais quater ſit enixa. At intra hæc ſpatia, non autem ex priori Roberti Fortis coniugio commentitio, Odonem & Robertum fuiſſe prognatos mirè demonſtrant Annales Reginonis, ac Metenſes, qui Hugonem Abbatem Roberto Forti ſubſtitutum tradunt ob teneram adhuc eorum ætatem. *Siquidem* ODO *&* ROBERTVS, *filii* ROBERTI *adhuc* PARVVLI *erant quando pater extinctus eſt, & idcirco non eſt illis Ducatus commiſſus.* Annal. Metenſ. ad ann. 867.

Digitized by Google

Inſtat adhuc Chiffletius, contenditque Adelaïdem in charta S. Martini Turonenſis à Roberto Rege, Roberti Fortis vxorem deſignatam, aliam eſſe ab Adelaide Conradi vxore, de qua Herricus Altiſſiodorenſis de miraculis S. Germani, ſed Adelaidem aliam, quam Emenonis Engoliſmæ Comitis filiam, ac Roberti vxorem fingit, eâ ſolùm ductus ratione, quòd Adalelmus Comes, quem Ademari Comitis Engoliſmenſis fratrem aſſerit, ac proinde Emenonis filium, ab Annalibus Metenſibus & Reginone ad annum 892. *Auunculus Odonis Regis* dicatur, ac Waltarius eiuſdem Adalelmi filius, *Nepos Odonis Regis*; vnde cùm auunculus recta ſignificatione ſororis fratrem deſignet, ſic Adelaidæ ſtemma comminiſcitur, & Walthario fratrem alium aſſignat nomine Adalelmum II. quia hunc Roberti Regis nepotem, id eſt, *conſobrinum* vocat Abbo lib. I. de obſidione Lutetiæ.

Stemma vxoris Roberti Fortis, Odonis & Roberti Regum matris, ex Chiffletii mente.

1. EMENO Comes Pictauiæ & Engoliſmæ anno 840.

2. ADELAIDA: Vxor Roberti Fortis occiſi anno 865.	2. ADEMARVS Comes Pictauiæ. 887. Vxor Sancia Petracoricenſis [illegible]	2. ADALELMVS I. Comes anno 870. & 87·. Auunculus Odonis Regis.

Children of Adelaida (left) and of Adalelmus I (right):

3. ODO Rex Franciæ 898.	3. ROBERTVS Rex Franc. occ. 923.	3. VVALTARIVS Comes *nepos*, id eſt *conſobrinus* Odonis Regis anno 892.	3. ADALELMVS II. Comes *nepos* Odonis Regis, id eſt, *conſobrinus*, anno 886.

Digitized by Google

Totum hoc ſtemma non ad veritatem, ſed ad tuam mentem compoſitum eſt Chiffleti; nulla quippe in toto genere Comitum Engoliſmenſium occurrit Adelaida, ac proinde tuo marte hanc confingis, Emeno enim Comes Engoliſmenſis ann. 866. è viuis excedens, Ademarum paruulum adhuc reliquit, qui deinde Sanciæ Willelmi Petragoricenſis filiæ iunctus, nullam ex ea ſobolem ſuſcepit, deceſſitq; improlis ann. 930. Vetus codex Engoliſmenſis MS. *Anno 866.* EMENO *cum Landrico congreditur* XVIII. *Kalend. Iul. & occiſo Landrico* EMENO *ſaucius ad caſtrum regreditur ſuum, & per dies* VIII. *debitum naturæ perſoluit* X. *Kalend. Iul.* Fuſiùs vetus auctor Hiſtoriæ Aquitanicæ nondum editus, cuius perantiquum exemplar penes me habeo: TVRPIO *cum Rege Carolo Franciam ingreſſus, & deinde reuerſus non poſt multos dies cum Normannis congreſſus, occidens eorum Regem nomine Maurum, ab eo ipſe occiditur, &* EMENO *frater eius dudum Comes Pictauinus tunc Engoliſmæ Comes extitit, & ipſe per biennium cum Landrico Sanctonenſi Comite confligens, interempto Landrico, in caſtrum Runconiam reducitur ſaucius, &* VIII. *die moritur ſepultus iuxta Baſilicam S. Eparchij, & reliquit filium paruulum* ADEMARVM *nomine. Carolus hoc comperto* WLGRINVM *propinquum ſuum, Fratrem Alduini Abbatis ex Monaſterio ſancti Dionyſii direxit in Aquitaniam, & præfecit eum Comitem Engoliſmæ ſimul & Petragoricæ.* Idem auctor infrà. ADEMARVS *autem filius* EMENONIS *filiam Vuillelmi filii Vulgrini Sanciam in coniugiò copula-*

uit ſibi, &c. cumque prolem nec ipſe exciperet, proſpiciens ſibi vnà cum vxore ſua Sancia de futuro ſæculo conceſſit quædam ex iure proprio Eccleſiis Chriſti prædia. Eius verò mortem ſic notat codex Engoliſmenſis: *Anno Dominicæ Incarnat.* 930. 4. *Non. Aprilis* ADEMARVS *Comes obiit.*

Huic Ademaro fratrem aſſignat Odo Cluniacenſis ADALELMVM nomine in Vita S. Geraldi lib. 1. cap. 38. eiúſque terribile mortis genus cap. ſequenti adſcribit vltioni diuinæ, propter inimicitias quas erga Geraldum Aureliacenſem Ademarus exercuerat. At is Adalelmus idem eſſe non poteſt quem Annales Metenſes Odonis Regis *Auunculum* vocant.

Temporis ſiquidem ratio non conuenit; nam cùm ex Aquitanico ſcriptore ſuprà citato conſtet Emenonem ann. 886. Ademarum adhuc paruulum reliquiſſe, ex quo Carolus Caluus anſam arripuit Wlgrinum propinquum ſuum Engoliſmæ Comitatui præficiendi, ſequitur Adalelmum, Ademari fratrem tenerâ etiam adhuc ætate fuiſſe, cùm natu poſterior eſſet Ademaro: at Adalelmus quem Regino & Annales Metenſes *Auunculum* Odonis Regis vocant, iam ann. 868. ætate prouectior, vt colligitur ex Caroli Calui charta à Dubouchetο edita, qua Monaſterio S. Dionyſij Rex piiſſimus confert *Caduſſam ſuper fluuium Saræ in Comitatu Laudunenſi ſitam, cum Eccleſiis duabus quas* ADALELMVS *Comes vſque modò per eius beneficium tenuerat.* Idque inſinuant

Probat. pag. 255.

nuant Capitula Cariſiaci ann. 877. ſancita, in quibus inter Comites quorum conſilio vti filium ſuum Carolus præſcribit, *Adalelmus* recenſetur, ex quo palam inducitur, hunc ab *Adalelmo* Ademari Comitis Pictauienſis *fratre* nondum ætatis perfectæ viro, diſtinguendum.

Et quidem diſtinctionem adhibent auctores: primus enim Odonis *Auunculus* dicitur, Ademari verò frater, *Robertum* auunculum ſuum vocat, ac per conſequens *Odonem*: Abbo de obſidione Lutetiæ lib. 1.

ROBERTVSQVE *ſuum cupiens admittere ſcutum*
Nil vidit, quoniam populus ſuus abſtulit illud, &c.
Vnde NEPOS *eius nimium triſtans* ADALELMVS
Conſulis intererat populo cui talia dixit:
Eia viri fortes clypeos ſumatis & arma,
Vlciſcique meum raptim properemus AVVNCVLVM.

Is Adalelmus ad ſummum tunc viceſimum, aut circiter annum attigerat; nam ſi vt ſuprà diximus anno 866. *Ademarus* adhuc paruulus erat, certè *Adalelmus* natu poſterior, cùm Lutetia ann. 886. à Normannis fuit obſeſſa, nondum maior eſſe potuit, nec Odone ætate prouectior; quia vt ex Reginone conſtat, cùm Robertus Fortis ann. 867. è viuis ſublatus fuit, Odo & Robertus adhuc paruuli erant; ea verò tempeſtate *Adalelmus* Odonis *Auunculus* in Caroli Calui palatio florebat, Arnulfi, Bernardi, & Conradi Comitum coætaneus.

Præterea quotquot ſunt qui de rebus Aquitani-

Digitized by Google

ciſ ſcripſere, *Adalelmo* Ademari *fratri* nullam vxorem, nec prolem adſcribunt, at *Adalelmo* Odonis *auunculo*, ab Annalibus Metenſibus ad annum 892. aſſignatur *Vualtgarius Comes* NEPOS *Odonis Regis filius ſcilicet* AVVNCVLI *eius Adalelmi.* Quare toto cœlo aberrauit Chifflerius, qui Emenoni Adelaidam (cuius nuſquam pater fuit) filiam aſſignauit, Adalelmo Ademari Comitis fratri, Vualtgarium & Adalelmum, quorum primus Adalelmi Odonis Regis auunculi *ſoboles*, alter Adalelmus ipſe Ademari *frater*, vt ex ſubiuncto ſtemmate faciliùs deprehendetur.

Stemma ADALELMI *Odonis Regis* AVVNCVLI, *necnon* ADALELMI, *Ademari Comitis Pictauienſis* FRATRIS, *Odonis Regis nepotis.*

THEODEBERTVS Matricenſis Comes.

- ROBERTVS I. per Aganam Saxiaci Dominus.
  - ROBERTVS II. Fortis dictus.
    - ODO Comes.
    - ROBERTVS Comes.
  - ADALELMVS Odonis Regis *Auunculus.*
    - VVALTGARIVS *nepos* Odonis ſeu *conſobrinus.*
- INGELTRVDIS Vxor Pipini Regis Aquitaniæ.
  - N. Vxor ITHARII vel IRATHARII Comitis Engoliſmenſis.
    - TVRPIO occiſus anno 865.
    - EMENO mortuus ann. 866.
      - ADEMARVS Comes Pictauienſis.
      - ADALELMVS Roberti *nepos*, id eſt *conſobrinus.*
    - BERNARDVS obiit anno 842.

Ex hac tabula aperta eſt differentia, quæ inter vtrumque Adalelmum eſt conſtituenda, nam pri-

Digitized by Google

mus Odonis Regis *Auunculus* dicitur, quia Roberti II. frater, ciúſque filius Vvatgarius, Odonis *nepos;* eadem loquendi formula quâ Sigebertus *Hugonem Capetum, Caroli ducis nepotem* vocat, qui tamen conſobrinus illius erat, veluti ex Caroli matris ſorore natus. *Adalelmus* alter Ademari Pictauienſis *frater* Roberti *nepos* appellatur, quia in cognationis linea Robertus eſt gradu ſuperior; Repetenda ſiquidem hæc ab Ingeltrude, Pipini vxore, cuius filia ex veteri auctore vitæ Ludouici Pij nupſit IRATHARIO, vel ITERIO Engoliſmenſi Comiti, qui vt ex tabulario S. Saluatoris Carrofenſis conſtat, *Emenonis* Engoliſmenſis pater fuit, iſque ex auctore Aquitanico quem ſuprà protulimus, Turpionis & Bernardi à Lamberto Nannetenſi Comite anno 841. occiſi, frater, ac pater *Ademari*, & *Adalelmi*, quorum primus Odonis *conſanguineus* ab Abbone Floriacenſi lib. 2. de obſidione Lutetiæ, alter libro 1. Roberti *nepos* nuncupatur frequenti hoc ſæculo loquendi formulâ. Hæc enim penes auctores non ſolùm ad eum explicatur, qui ex filio vel filia natus eſt, ſed etiam ad ſororis vel fratris filium, & demum ad patruelium vel conſobrinorum filios, vt pluribus obſeruat Chifflетius, & ante ipſum docuerat clariſſimus vir, déque litteris optimè meritus Chriſtophorus Iuſtellus, in Aruernicæ gentis Hiſtoria genealogica: Quare cùm Adalelmus Ademari frater nuſquam Odonis Regis fuerit *Auunculus*, ſed prauo loquendi vſu *nepos*, malè Adhelaidem

Ad ann. 881.

Bouchetus. pag. 204.

Lum. ii. pag. 200. lib. 1. c. 14.

Digitized by Google

Emenonis Comitis *filiam* exiſtimauit vir eruditus, vt inde Odonem, & Robertum ab alia Adelaida, quàm Hugonis Abbatis matre genitos, ac proinde non Hugonis fratres vterinos demonſtraret, deprauatámque Chronici Diuionenſis lectionem tueretur.

CAPVT VII.

HVGO I. ABBAS *Caroli Magni ex* REGINA *filius nuſquam fuit Clericus coniugatus.*

CVM anno ſuperiori Chiffletius in Vindiciis Hiſpanicis aſſeruiſſet, Hugonem I. Abbatem ex Regina Caroli Magni concubina genitum, duas ſuſcepiſſe filias, idquę veluti magni momenti arcanum quoddam iactitaret; nunc ſe Duces & anteſignanos habuiſſe, clariſſimum Ducheſnium, & doctiſſimos fratres San-Marthanos, ingenuè profitetur, eorúmque adiiciens ſententiæ priorem Hugonis I. Abbatis filiam ipſis incognitam *Adelaidem* fuiſſe nuncupatam, non *Roberto Forti*, vt illi putauerant, ſed *Conrado* Vvelphi filio coniugio copulatam, Hugonis II. & Roberti Fortis deinde matrem; alteram *Petronillam* nomine, Tertulli vxorem, conſtanter affirmat, vt inde maternum Hugonis Capeti genus à Carolo Magno deducat.

Digitized by Google

Sed vt grauiſſimorum virorum veſtigiis primitus inhæſit, iis etiam modò deberet inſiſtere, veram enim Hugonis Capeti originem palam amplexi ſunt peritiſſimi fratres San-Marthani, in hâc vltima editione, ab omnibus eruditis vno conſenſu comprobata, eandémque nuſquam ſatis laudati Ducheſnij fuiſſe ſententiam, docent nos eius ſchedæ poſthumæ. Et quidem Hugonem Abbatem Caroli Magni ex Regina filium nuſquam coniugatum fuiſſe certiſſimum eſt, cùm conſtet hunc anno 818. à Ludouico fratre per tonſuram clero addictum, & in monaſteria detruſum, ac tandem (vt Annales Bertiniani nos docent) Preſbyterum & Abbatem effectum, extremum diem obiiſſe anno 844.

Thegan.

Ad ann. 844.

Verùm duos Hugones Caroli Magni filios ex Chronico Noualicienſi nobis obtrudit Chiffletius, alterum puerulum adhuc Abbati Frodoino commendatum, nec paulò poſt Carolum patrem Idibus Iunij vita functum, in monaſterio S. Medardi miraculis & morum ſanctitate celebrem: alterum Abbatem quidem, ſed peſſimo ſæculi more coniugatum, ante Toloſam ann. 844. Idibus Iunij à Pipini ducibus occiſum.

Lum. 8. pag. 192.

Vt Faber ſuprà ex vno Ferreolo, duos effinxit, ſic iſte vnum Hugonem in duos diuiſit; Manifeſtus enim error eſt Noualicienſis Chronici, cùm Eginardus Caroli Magni comes aſſiduus eius liberos ſingillatim recenſens, vnius tantùm Hugonis

Digitized by Google

ex Regina procreati meminerit: Hunc ſequitur Carolus Caluus ipſius Caroli Magni, & Hugonis nepos in genealogia ab ipſo dictata, quam huic operi ſubiungemus, eiuſdémque ſententiæ Chronicon ſancti Benigni Diuionenſis; Sed vt omnis dubitatio penitus amoueatur, his ſuffragatur ipſius Hugonis Vita, quam in notis ad Vitam Caroli
28. Ianuar. Magni ab Eginardo compoſitam, & inter acta ſanctorum nuper edita relatam, daturum ſe ſpopondit clariſſimus Societatis Ieſu Preſbyter Bolandus dum ſanctos XIII. Iunij celebratos proſequetur; ex hac enim Hugonem Drogonis fratrem à Frodoino Abbate Noualicienſi, (cui deinde ſucceſſor extiterit) inſtitutum, ſanctitate, & miraculis poſt mortem clarum, XIII. Iunij feſtiuâ ſolemnitate coli, nos in anteceſſum monitos voluit vir diligentiſſimus, vt inde colligeremus Hugonem de quo mentionem fecit Chronicon Noualiciẽſe, eundem eſſe ac Hugonem ab Eginardo aliiſque laudatum, erraſſe quoque idem Chronicon dum eius obitum ad VII. Idus Iunij retulit, cùm ipſis Iunij Idibus contigerit, vt rectè Bertiniani Annales annotarunt.

Poſito tamen ſed non conceſſo, Carolum Magnum duorum Hugonum patrem fuiſſe, erit nihilominus indubitatum Hugonem ex Regina genitũ cum fratre Drogone à Ludouico Pio fuiſſe tonſu-
Cap. 14. ratum, cùm id apertè tradant Theganus chorepi-
Lib. 1. ſcopus, & Nitardus; quod cùm contra patris con-

ſtitutionem peregiſſet, quâ vetabatur, ne quis ex nepotibus eius, ac per conſequens ex filiis, *aut membris mancare, aut excæcare aut inuitum tondere*, vllus auderet; *conſilio cum Epiſcopis & optimatibus ſuis habito, fratribus ſuis, quos inuitos tonderi iuſsit reconciliatus eſt.* Annales ab Hermanno Nuenario editi ad ann. 821. Auctor vitæ Ludouici Pij id ipſum ſic notat: *Primò quidem fratribus reconciliari ſtuduit, quos inuitos attonderi fecerat.* In huiuſmodi enim mancipationibus, vt omnis exeundi è monaſterio ſpes adimeretur, iuſiurandum præſtabat qui vel filium, vel fratrem offerebat, ſe nullam ei occaſionem egrediendi vel per ſe vel per alios præſtiturum. Formulam do ex perantiquo Cartulario Abbatiæ Bellilocenſis depromptam, quam nobis ſuppeditauit Cl. vir Chriſtophorus Iuſtellus.

Cùm legaliter ſancitum, antiquitúſque teneatur & cautum, cum oblationibus Domino parentes ſuos tradere filios in templo Domini Domino fœliciter ſeruituros; proculdubio hoc de noſtris filiis faciendum nobis ſalubriter præbetur exemplum. Idcircò nos GAVFFREDVS & BENEDICTVS *hunc* FRATREM *noſtrum nomine* POTRONEM, *cum oblatione atque petitione, altaris pallâ in manu eius inuolutâ, ad nomina Sanctorum quorum hîc reliquiæ continentur, &* FRODOINI *Abbatis, & omnis congregationis tradimus coram teſtibus regulariter permanſurum, ita vt ab hac die non iam liceat collum de ſub iugo regulæ excutere, & vt noſtra traditio inconuulſa permaneat promittimus ſub iureiurando coram Deo & Angelis eius, quia nunquam per nos, vel quolibet modo per rerum noſtrarum facultates egrediendi*

ei aliquando de monaſterio tribuamus occaſionem , & vt hæc noſtra traditio inconuulſa permaneat, manu noſtra eam ſubterfirmauimus , & teſtibus tradidimus roborandam.

Hugonem quidem *ſub libera cuſtodia* commendatum docet nos Nithardus, ſed nullus ex auctoribus perhibet hunc Monaſticam abieciſſe diſciplinam: Et quamuis, vt Chiffletius aduertit, Laïci etiam coniugati, *Abbates* dicerentur, Hugonem tamen non *Laïcum*, ſed *Monaſticum* Abbatem fuiſſe certis monumentis comprobatur. Vetus auctor qui miracula S. Quintini deſcripſit, in Auguſta Veromanduorum à C. Hemeræo editus: *Igitur bonæ memoriæ quondam* FVLRADVS *Abbas egregia proſapia ortus templum nouum quod & nunc decenter ornatum nitet, in honorem Dei, & eiuſdem martyris conſtruere curauit, cuius poſtea* ABBAS *nobiliſſimus, atque bonæ indolis Sereniſſimi Karoli Auguſti* FILIVS, *Hludouicique Imperatoris* FRATER, HVGO *nomine ſepulturam præfati martyrii maximo dilexit honore.* At de eadem tumulatione idem auctor, vel alius in eodem codice ſic verba facit. *Hinc anno Dominicæ incarnationis octingenteſimo vigeſimo quinto ab* HVGONE MONASTICO ABBATE *& Drogone Metenſium videlicet Pontifice ab illo loco iterum eleuatur, aromatúmque liquoribus gratanter perfunditur.* Et infrà de corporis ſancti Caſſiani ad Veromanduos euectione agens: *Cuius ſacroſanctum corpus pro miraculorum laudibus, & famoſiſſimæ opinionis virtutificationibus, à quodam* SOPHISTICO ABBATE *ſcilicet*

Cap. 40.

præ-

præſcripto HVGONE, *ſuppliciter expoſcitur, ac prudenter impetratur*. Dicitur hîc SOPHISTICVS ABBAS, veluti ſapientiæ ac regularis diſciplinæ obſeruantiâ præcellens; Monachorum enim qui abiectis rebus omnibus priuatim Deum colerent, inſtitutum nominatim *Philoſophiam* vocat Imperator Maiorianus in *nouell. de Sanct. & Vid.*

Saluianus Maſſilienſis Epiſcopus lib. 2. ad Eccleſiam Catholicam: *Ergo & non alia opinor cauſa religionis Philoſophiam adpetiuimus*: ita etiam B. Baſilius librum illum, quo in Cœnobiis degentibus præceptiones dat exorſus eſt; *Qui Chriſti Philoſophiam elegit*, &c. vocatur igitur *Hugo* Abbas *Monaſticus*, vel *Sophiſticus* ad differentiam *Laici*, vel *Militis* Abbatis, cui ex prauo ſæculi vſu vxorem ducere licebat.

At vxorem nuſquam duxiſſe *Hugonem Abbatem* ex ipſa temporum ſerie deprehenditur: anno quippe 818. Bernardus Rex Italiæ quòd in patruum coniuraſſet, luminibus priuatus fuit, eodémque tempore iuſſit Ludouicus Pius, *fratres ſuos tonſurari*, DRVGONEM, HVGONEM & THEODERICVM, vt narrat Theganus chorepiſcopus. Tunc *Hugo* nullas contraxerat nuptias, cùm anno 814. quo è viuis exceſſit Carolus Magnus, adhuc Hugo *tenerâ ætate* eſſet: Nithardus Caroli Magni ex Bertha filia nepos: *Initio quidem Imperii ſuſcepti* (Ludouicus Pius) *pecuniam ingenti numero à patre relictam trifariam diuidere iuſſit, & vnam partem in cauſam funeris expendit, duas verò inter ſe, & ſorores ſuas à patre iuſto matrimonio ſuſ-*

Digitized by Google

ceptas diuiſit, quas & inſtanter à Palatio ad ſua monaſteria abire præcepit: FRATRES *quoque adhuc* TENERA ÆTATE DROGONEM, HVGONEM, & THEODERICVM *participes menſæ effecit, quos & in palatio vnà ſecum nutriri præcepit*. Nondum igitur adulti hi Ludouici Pij fratres, cùm eorum pater fato functus eſt, nec proinde aliquis ex illis matrimonij (cuius incapax erat) vinculo illigatus. Non etiam ſequentibus annis vxorem duxere; nam anno 822. fratribus ſuis adhuc Monachis reconciliari ſtuduit Ludouicus

Thegan. c. 24. Pius, vnde anno 823. DRVGONI *Epiſcopatum dedit, &* HVGONI *Cœnobialia monaſteria.* Eo ſiquidem anno, non 825. vt ex falſo Sigeberti Epiſcoporum Metenſium indice à Patre Meuriſſio laudato Chiffletius retulit, Drogo in Epiſcopum Metenſem fuit aſſumptus: aliàs enim ſibi ipſi contrarius foret Si-

In Chron. gebertus, qui Drogonis inaugurationem ad annum 823. notauit, eóque antiquior Eginardus in Annalibus. Nec eruditi viri officit argumentum, quo Drogonem Hugone natu maiorem triginta tunc annos natum exiſtimat, quia ſcilicet ex præſcripto canonum in cõſecrando Epiſcopo ætas hęc deſideratur, vnde colligit Drogonem anno circiter 795. Hugonem verò non niſi poſtmodum in lucem editum: Nam præterquamquòd non vbique ſeruata in Epiſcoporum conſecrationibus legitima tempora, vt ex allatis priori parte exemplis fusè

Pag. 67. demonſtrauimus, obſtat Chiffletij calculo Nithardi auctoritas, dum Drogonem & Hugonem *teneræ*

Digitized by Google

adhuc ætate fuiſſe tradit, tunc cùm Carolus Magnus obiit. Quare non vltra XXII. aut XXIII. annum ad ſummum attigerat Drogo cùm Epiſcopus Metenſis renunciatus fuit, & intercedente diſpenſatione conſecratus : Si enim 795. vt vult Chifflerius natus eſſet, iam plenæ pubertatis annos expleuiſſet, cùm Ludouicus Pius Carolo Magno ſucceſſit, veluti natus annos octo ſupra decem, quam ætatem dum quis attigit, teneram exceſſit.

At cùm Epiſcopus factus fuit Drogo *ſub canonica vita* degiſſe, narrat Eginardus, Theganus verò Hugoni iiſdem diebus *Cœnobialia monaſteria* fuiſſe conceſſa. Et quidem in actis tranſlationis corporis S. Quintini annus 825. ſecundus eius apud Veromanduos præfecturæ computatur, ac elogio ſingulari *Monaſticus Abbas* ille nuncupatur, vt inde pateat hunc omninò regulari diſciplinæ tunc fuiſſe mancipatum, rectéque Theganum obſeruaſſe *Cœnobialia Monaſteria* ipſi fuiſſe concredita. Non enim vnius eiuſdémque conditionis erant omnia monaſteria, ea quippe in quibus regulare vigebat inſtitutum, verè cœnobia erant, alia potiùs congregationes, & ſodalitia, ex canonicis compoſita; vtraque tamen proprium habebant Abbatem, *Monachi* monachum, *Canonici* Laïcum, quibus quandoque præpotens aliquis Comes præficiebatur, qui ſe *Archiabbatem* dicebat; Hanc differentiam mirè demonſtrat charta tabularij ſancti Licinij apud Ad annum 825.

Andios, quæ ſic concepta eſt.

Monachi ſancti Albini, & Canonici ſancti Licinii habebant de beneficio Andegauorum Comitum prope Andegauam duas Eccleſias, & duas Curtes ad illas pertinentes, in omnibus earum redditibus inter ſe ſine diuiſione communes: Vnam Chiriacum, alteram nomine Camilcheriacum. Habebant & Abbates: MONACHI, MONACHVM *nomine Hincbertum:* CANONICI, LAICVM *nomine Tetbaudum. Cùm autem ſecularis regulari, Tetbaudus ſcilicet Abbati Hincberto, & huius Monachis de illarum Curtium communitate in multis importunus eſſet, & damnoſus*, &c. *in tantum vt vlterius perpeti non poſſent, quæſierunt per* COMITEM FVLCONEM VTRORVM ABBATVM ARCHIABBATEM, *vt inter duas Congregationes duarum ſupradictarum Curtium fieret iuſta partitio, & æqualis diuiſio: Ita vt alterius in partem alterius nulla dominationis tranſiret violentia, ſed portionem quiſque ſuam poßideret quietè. Quod vbi* FVLCO *Comes ſic oportere intelligens, fieri præcepit, ac Tetbaudus cum Canonicis eius præcepto annuit.*

Ita in monaſterio ſancti Petri Moiſſiacenſis apud Cadurcos duo fuere Abbates, ille ſcilicet qui Monachis præerat, & Abbas Miles: Primus *Verus Abbas* dicebatur, ad differentiam alterius. Charta huiuſce Abbatiæ patrio ſermone conſcripta: *Conneguda cauſa ſia à tots aquels, que aqueſta charta veyran, que los premiès del communal de Mouyſſac feron ſegramen al* SENHOR RE VERA ABBAT *de Mouyſſac.* id eſt. *Cognitum ſit omnibus hanc chartam viſuris, quod primores*

communiæ Moiſſiacenſis ſacramentum præſtitere DOMINO RE VERA ABBATI *Moiſſiacenſi*. In alia tabula vtriuſque Abbatis diſcrimen apertius : *Poſuerunt, & conceſſerunt inter ſe prædictus Comes, & prædictus* ABBAS *&* CONVENTVS, *de illis Manſis, ſeu Bordariis, in quibus Dominus Comes habebat ſuum captemium pro* ABBATE MILITE. Hi autem *veri Abbates, Legitimi* dicuntur in Concilio Sueſſione coacto anno 744. de quibus ſic canone tertio ſancitum : ABBATES LEGITIMI *hoſtem non faciant*.

Quamobrem, vt talem fuiſſe *Hugonem* Reginæ filium demonſtraret auctor actorum tumulationis corporis S. Quintini, hunc *Monaſticum Abbatem* vocat, & alibi *Monarcham Præſulem cœnobitarum*, vt denotaret nullum ſupra ipſum Abbatem fuiſſe conſtitutum : *Inter huiuſcemodi præconiorum iubilos*, inquit, *ex camerata cripta perducitur*, (corpus ſcilicet S. Quintini) *ab* HVGONE MONARCHO PRÆSVLE COENOBITARVM *huiuſce loci*. At in hac functione, eximiâ morum ſanctitate claruiſſe præter acta ſuprà laudata, docet nos aduentus corporis ſancti Caſſiani in Auguſtam Veromanduorum : *Anno igitur Dominicæ incarnationis octingenteſimo quadrageſimo, præſidente Auguſtodunenſium Cathedræ Motuino Venerabili Epiſcopo,* HVGO ABBAS *Monaſterii ſancti Quintini mittens ad eum legatos ſuos, corpus Beatiſſimi* CASSIANI *quod per ſemetipſum prius poſtulauerat, expoſtulauit; cuius petitioni ſuprà nominatus Epiſcopus propter multum amicitiæ reſpectum, reuerentiæque modum, conceſſit*

In Auguſta Veromanduorum Hemeræi circa finem.

Digitized by Google

effectum, contuens obſeruantiam excellentiſſimorum Imperatorum, quorum ipſius Abbatis CAROLVS *Cæſar Auguſtus* GENITOR *erat, alter verò* FRATER *Beatiſſimus Imperator* LVDOVICVS, *collectum denique reuerenter ſancti Caſſiani corpus per* SACERDOTES SVOS, *quos pro hoc ſuprà dictus* ABBAS *direxerat cum epiſtola ſua miſit.* & deinde: *Poſtquam ergo infra Laudunenſium Comitatum venit ſuprà dictus* ABBAS *cum* SACERDOTIBVS ECCLESIASTICOQVE ORDINE, *cum magno gaudio reuerenter occurrit, ſuſceptúmque corpus pretioſis aromatibus die alterâ condiuit*, &c. Vide Chiffletiàn hæc munia peregerint *Abbates Laici*, qui vt ait Concilium Trosleianum *in monaſteriis Deo dicatis, Monachorum, Canonicorum, Sanctimonialium cùm ſuis vxoribus, filiis, & filiabus, cum militibus morarentur & canibus?* Nullo modo prorſus; tanto enim ſacrarum reliquiarum arſit deſiderio vir Pius, vt ipſi Meierus ſacrilegij crimen aſpergat, *ob furatum per Maurum quemdam Monachum ſubornatum, corpus D. Audomari quod in Veromanduos aſportaret anno* 843. Vnde à Carolo Rege miſſus ad obſidionem Toloſæ, pœnas perpetrati ſceleris ibidem exoluerit; Non igitur fuit coniugatus *Hugo*, & omnino dubitationem amouent Annales ſancti Bertini, cuius etiam ipſe Abbas fuit, dum referunt *Hugonem* PRESBYTERVM *& Abbatem filium Caroli Magni* ante Toloſam anno 844. VII. Idus Iunij extremum diem obiiſſe; Nec ſtare poteſt exemplum à B. Arnulfo Metenſi Epiſcopo petitum, qui antequam *Presbyter* eſſet, ex legitimis nuptiis liberos

procreauit, cùm ab anno 818. quo *Hugo* adhuc iuuenis veluti anno 814. in tenera ætate ex Nithardi ſententia poſitus, per tonſuram regulæ Monachali mancipatus fuit, in eodem ſemper ſtatu permanſerit, ac anno 825. qui ſecundus erat eius apud S. Quintinum præfecturæ, *Monaſticus Abbas*, ad differentiam *Laici* fuerit nuncupatus: tum anno 840. cum *Sacerdotibus ſuis* B. Caſſiani corpus reuerenter exceperit; ex quibus iam *Presbyterum* factum fuiſſe *Hugonem* apertè colligitur, nec vſquam vxorem ducere potuiſſe, cùm ab adoleſcentia inter Monachos fuerit enutritus.

Verùm hoc apertè probaſſe non ſufficit, profliganda etiam ratio, qua Chiffletius contrarium demonſtrare contendit: in ſuum igitur ſubſidium aduocat Chronicon Senonenſe, cuius ita locum profert: *Dicitur quod iſte* HVGO *ex progenie Caroli Magni deſcenderat, non ex primogenito;* Vnde cùm ex *Pipino* Rege Italiæ, & *Ludouico Pio* Imperatore, non oriatur Hugo Capetus, concludit hunc ab *Hugone Abbate* prodiiſſe, qui legitimis liberis iam recenſitis ordine natalium poſterior erat. Hîc me has voces *Caroli Magni* per dolum ſuppreſſiſſe notas Chiffleti, ac eruditos San-Marthanos fratres mihi obiicis, qui ad verbum Gallico idiomate ex eodem Chronico locum à te citatum, vt tu retuliſti, expreſſere. Sed quo vſi ſint codice clariſſimi viri mihi non liquet, quantum ad me præ manibus habeo fideliſſimum exem-

plar, cum autographo à doctiſſimo Nicolao Camuſatio Trecenſi collatum, cuius mihi copiam fecit illuſtris patris digna ſoboles Franciſcus Ducheſnius; vidi & perantiquum codicem ſpectabilis viri Alexandri Petauij Senatoris Pariſienſis: in vtroque autem ſic locus de quo nunc agitur exaratus

982. eſt. *Anno* DCCCCLXXXII. *obiit* LVDOVICVS *Rex iuuenis qui nihil fecit, donauit Regnum* HVGONI *Duci:* HVGO *eodem anno factus eſt Rex Francorum, & eodem anno* ROBERTVS *filius ſuus factus eſt Rex, & vnctus in Regem: Succeſſerat autem prædicto* LVDOVICO, KAROLVS *frater ſuus, contra quem* HVGO *rebellauit, eo quod acceperat filiam Comitis Trecarum. Collecto igitur exercitu* HVGO *obſedit Laudunum vbi manebat dictus* KAROLVS, *qui de ciuitate fugauit cum vxore ſua exinde* HVGONEM. *Cernens verò* HVGO *quòd eum poſſet deuincere, conſilium habuit cum* ASCELINO *Epiſcopo Laudunenſi ipſius* KAROLI *conſiliario; De nocte verò cunctis quieſcentibus in ciuitate* ASCELINVS *Epiſcopus* HVGONI *Duci Laudunum tradidit, & tunc vinctus eſt* KAROLVS *cum vxore, & ductus Aurelianis in cuſtodia; tamen dicitur quòd iſte* HVGO *ex progenie deſcenderat, non ex primogenito.*

Cùm hæc ita ſe habeant Chiffleti, non potes inde colligere Hugonem Capetum natum eſſe ex HVGONE Abbate, veluti non primogenito Caroli Magni, cùm abſciſſè *Gauffridus de Collone*, auctor huius Chronici, vt præfert codex clariſſimi viri Alexandri Petauij, dicat Hugonem Capetum ex PROGENIE deſcendiſſe, id eſt *ex gente Caroli Magni.* Quare

Quare non per dolum ſubieci ex *Childebrando ſcilicet, non Carolo Martello* originem traxiſſe, cùm ſuprà laudatus auctor ſolitariè,& ſine adiecto Hugonem Capetum *ex progenie* deſcendiſſe referat, *non ex primogenito*: Quòd ſi ad tuum ſenſum deflectenda ſunt huius ſcriptoris verba, nihil tuæ ſententiæ conferunt, vt inde ſequatur maternum Hugonis Capeti genus, ab Hugone Abbate Pipino, & Ludouico Pio natu poſteriore defluxiſſe, ac proinde Hugonem I. Abbatem antequam preſbyter fieret, vxorem duxiſſe;quinimo noſtræ potiùs congruent opinioni, cùm Adelaidem Hugonis II. Abbatis, ac Roberti Fortis matrem Ludouici Pij ſecundò geniti filiam credamus, vt ſequenti Capite fuſiùs demonſtrabimus.

CAPVT VIII.

CONRADI *Ducis vxor* ADELAID, *fuit filia* LVDOVICI PII *Imperatoris.*

CERTA eſt concluſio mea Chiffleti, *Adelaidem* filiam eſſe Ludouici Pij, cùm ex Annalibus Bertinianis ad annum 864. Conradi vxor, & Hugonis II. Abbatis mater, Lotharij II. Lotharingiæ Regis Ludouici Pij nepotis, *matertera* fuerit. Licèt enim propria ſignificatione, *Matertera ſit matris ſoror, quaſi mater*

Digitized by Google

altera, quo ſenſu filia foret Adelais *Hugonis* Alſatiæ Comitis, & ſoror *Hermengardæ* Lotharij I. vxoris, ac ſecundi genitricis; nulla tamen ratione, hunc intellectum pati poſſunt ſcriptoris Bertiniani verba.

Epiſt. 305. Ioannes enim VIII. Pontifex, vt iam prænotauimus Hugonem Abbatem *Regali proſapia editum* vocat, eandémque natalium prærogatiuam tribuit Senonenſe Chronicon ad annum 881. Welpho eius germano S. Columbæ Abbati: quam nec à *Conrado* Welphi filio, nec ab *Hugone* Alſatiæ Comite Lotharij I. ſocero repeti poſſe declaras, cùm ex illo fonte nullam Regij ſanguinis ſtillam in Hugonem Capetum defluxiſſe putes: vnde ab Adelaide Hugonis Abbatis, & Welphi matre elogia hæc repetenda, quæ cùm, vt in *Aſſertore* diximus, Lotharij II. *matertera* dicatur, Lotharij I. *ſoror*, & per conſequens Ludouici Pij *filia* ex Hermengarda prima coniuge cenſenda eſt.

Pag. 197. Lum. 9. Nec valet effugium quod excogitaſti Chifleti, hæc ſcilicet encomia Hugoni Abbati, & Welpho fratribus optimè conuenire, cùm per Adelaidem Hugonis I. filiam à Carolo Magno oriundi eſſent; nam cùm apertè conſtet Hugonem Abbatem Caroli Magni nothum nuſquam vxorem duxiſſe; certum eſt Adelaidem nuſquam eius fuiſſe ſobolem, niſi antequam tonderetur ſpurias
Pag. 195. proles ediderit, quod meritò non credis.

Probabilior ſane tibi mens fuiſſet, ſi *Ermengardam*

Digitized by Google

Lotharij I. vxorem non ab antiquo modò Merouingiorum, ſed etiam S. Arnulfi ſtemmate per matres oriundam deprehendiſſes. Hugonem enim eius patrem *ex ſtirpe cuiuſdam Ducis nomine* EDITH originem traxiſſe narrat Theganus Chorepiſcopus: Genitore ſcilicet Luitfrido, auo Adalberto, ſeu Alberto, quem Lotharius I. Imperator in charta Emunitatis pro monaſterio Sanctimonialium ſancti Stephani Argentinenſis *Parentelæ ſuæ progenitorem* vocat; proauo Attico, vel Adalrico, qui *Edith* etiam nominabatur, vt conſtat, ex vita S. Odiliæ, duxerátque vxorem *Bereſindam Eimhildis* Reginæ Chilperici II. coniugis ſororem, natam ex ſorore S. Leodegarij, cuius ideò Bereſinda neptis erat; vnde in charta fundationis monaſterij ſancti Gregorij apud Munſterum in Alſacia à Chilperico II. anno 660. fundati, hanc ſe Rex hortatu *Eimhildis* coniugis ſanctæ Odiliæ Bereſinta natæ, *matertera*, peregiſſe teſtatur; & *ob hanc cauſam conſanguinitatis à præfato Rege Ducatum Germaniæ adeptus eſt* Atticus, vt habet vetus fragmentum Hiſtoricum incerti auctoris. Attico pater fuit *Leudeſius*, mater verò ex proſapia ſancti Sigiſmundi Burgundiæ Regis, & per conſequens *Chrothildi, Clodouci I.* vxori conſanguinitate iuncta. Leudeſij parentem *Erchenoaldum* ſub Clodoueo II. Maiorem domus, *Leutſindis* maritum, vt eſt in vita ſancti Furſei, aperiunt nobis eadem monumenta ſuprà laudata; ac Fredegarius in Chronico hunc *conſanguineum de ge-*

Tom. 1. Collect. hiſt. Franc. pag. 674.

Vide Sanmarthanos fratres in Childerico II.

Eod. tom. Collect. hiſt. Franc. pag. 785.

Ibid. pag. 658.

nere DAGOBERTI, Auctor verò vitæ ſancti Wandregiſili, BEATI VIRI *conſanguineum* fuiſſe tradunt; Quare in vnam eandémque *Erchenoaldi* perſonam, & Merouingiorum Regum, & ſancti Arnulfi genus profluxiſſe manifeſtum eſt, meáque vt opinor ſententiâ Erchenoaldi mater, Beati Arnulfi ſoror fuit; plures enim Arnoaldus ſuſcepit liberos, præter eos, quos ſancti Præſulis indicant genealogiæ, vt in priori huius operis parte probauimus, ideóque nihil vetat, vt hanc ipſi ſobolem aſſignemus, tum præcipuè, cùm cognationis gradus, hâc ratione cum perſonis, & rectâ temporum ſerie apprimè conueniant, vt ex ſequenti ſtemmate apertiùs deprehendetur.

Digitized by Google

Stemma HERMENGARDIS LOTHARII I. *coniugis.*

1. CLODOVEVS Rex Francorum: Vxor CHROTILDIS Burgunda.

2. CLOTHARIVS I. Rex Francorum: Vxor N.

3. BLITHILDIS ANSBERTO nupta. — CHILPERICVS I. Vxor FREDEGVNDIS.

4. ARNOALDVS Dux: Vxor ODA. — CLOTARIVS II. Vxor BERTRADA.

5. S. ARNVLFVS Dux: Vxor DODA. — N------ Mater ERCHENOALDI. — DAGOBERTVS I. Vxor NANTILDIS.

6. ANCHISES Dux: Vxor BEGGA. — VVALCHISES: Vxor VVALDRADA. — ERCHENOALDVS: Vxor LEVTSINDIS. — CLODOVEVS II. Vxor BATILDIS.

7. PIPINVS Dux: Vxor ALPAIS. — S. VVANDREGISILVS. — LEVDESIVS: Vxor ex proſapia S. Sigiſmundi. — THEODERICVS I. Vxor DODA.

8. CAROLVS MARTELLVS: Vxor ROTRVDIS. — ATTICVS ſiue ADALRICVS qui & EDITH: Vxor BERESINDA. — CHILDEBERTVS II. Vxor N.

9. PIPINVS Rex Franc. Vxor BERTA. — ALBERTVS DVX: Vxor GERLINDIS. — DAGOBERTVS II. Vxor N---

10. CAROLVS Magnus Imp. Vxor HILDEGARDIS. — LVITFRIDVS Comes: Vxor HILDRVDIS. — THEODERICVS II.

11. LVDOVICVS Pius: Vxor ERMENGARDIS. — HVGO Dux Alſatiæ: Vxor BAVA. — LVITARDVS Com. Vx. GRIMALDVS.

12. 3. ADELAIS Vx. CONRADI, *Matertera* LOTHARII II. — 2. PIPINVS Rex Aquitaniæ: Vxor INGELTRVDIS. — 1. LOTHARIVS Imp. Vxor HERMENGARDIS. — HERMENGARDIS nupta LOTHARIO Imperatori. — GERARDVS Comes: Vxor BERTA filia Pipini.

13. HVGO II. Abbas *Regali proſapia editus*. — BERTA: Vxor GERARDI Comitis. — LOTHARIVS II. Rex Lotharingiæ. — THEODERICVS: EVA.

Digitized by Google

Hoc ſtemma ſicut & pleraque alia debemus ſagacitati clariſſimi viri Patris Vignerij, Congregationis Oratorij Preſbyteri, qui primus Erchenoaldum illuſtrium familiarum, quæ etiamnum vigent, auctorem retexit; Non ex eo tamen quis ſanus dicet, etiam ſi finxerimus *Adelaidem*, Hermengardæ Lotharij I. vxoris fuiſſe *ſororem*, vt *matertera* vocem ad ſuam ſignificationem aptemus, *Hugonem* Abbatem, & *Welphum* eius filios, *Regali proſapia editos* nuncupari, tum præcipuè, cùm cognationum iure ciuili vltra ſeptimum nulli ſint gradus; Ermengarda verò Lotharij I. vxor hos limites longè ſit prætergreſſa. At ſi Adelaidem Ludouici Pij filiam vti reuera fuit, agnouerimus, in primo conſanguinitatis reperietur, nec malè conuenient Hugoni, ac Welpho *Regij natales* attributi: Inde tamen colligere potes Chiffleti, malè te exiſtimaſſe nullam Regij ſanguinis ſtillam ex Hermengardis fonte poſſe deduci; cùm per longas cognationes replicatum illius genus ab antiqua Merouingiorum, ac communi Carlouingiorum profluat origine.

Pag. 198. Sic infœliciter toto lumine X I. non in luce, ſed in tenebris verſaris, dum Adelaidem Hugonis, Caroli Magni nothi, ex Chronico Turonenſi filiam fuiſſe contendis, quia Ingelgerius Comes Waſtinenſis, *Nepos Hugonis Burgundiæ Ducis* nuncupatur, quem Petronillâ *Hugonis Magni Burgundiæ Ducis filiâ* natum idem auctor Chronici tradit,

eandémque Petronillam Hugonis Abbatis ſancti Martini *materteram* extitiſſe. Vnde Hugonis Abbatis *matrem*, *Adelaidem* ſcilicet, Petronillæ *ſororem*, ac conſequenter Hugonis Caroli Magni nothi prædicas *filiam*. Sed præterquamquòd nulli ex auctoribus Hugoni Caroli Magni notho, Burgundiæ Ducis titulum tribuunt, nec Odo Cluniacenſis qui *Hugonis Burgundiæ Ducis* meminit, vel minimam notam adiicit, ex qua colligi poſſit, hunc Caroli Magni fuiſſe filium, ſuppreſſo etiam Abbatis elogio, (adeò vt ſola pro te pugnet nominum ſimilitudo, quaſi duos Hugones vna ætas ferre non potuerit,) corruit tota hæc argumentatio, impugnatis Hugonis Caroli Magni nothi nuptiis.

Fruſtrà etiam editis tabulis, & exemplis laboraſti, vt Bertinianos Annales ad tuam componeres coniecturam, & Adelaidem Lotharij II. materteram deſignares, deflexâ ad *amitam*, quam pro gradus ſuperioris *conſobrina* accipis, Burgundico loquendi more, *matertera* ſignificatione, cùm tamen hoc loco recepto apud optimos auctores vſu, pro patris *ſorore* accipiatur, idque inſinuet charta ſancti Martini Turonenſis, quâ Berengarius Rex Italiæ Robertum Regem Adelaidis filium, *propinquum ſuum* vocat, quia ſcilicet *Giſlâ* vel *Giſelâ* Ludouici Pij filiâ Euerardi Ducis Foroiulienſis vxore natus erat, vnde cùm Adelais *Matertera* Lotharij II. dicitur, Robertus verò eius filius, Berengarij *propinquus*, palàm inducitur Adelaidem Giſelæ

fuiſſe *ſororem*, ac proinde Ludouici Pij *filiam*, exploſo Hugonis Abbatis Caroli Magni ex Regina filio, nuptiarum commento, vt ex ſubiuncto ſtemmate clariùs patebit.

Stemma ADELAIDIS *materteræ* LOTHARII II.

CAROLVS M. Rex & Imperator fato functus anno 814.

LVDOVICVS PIVS ex ERMENGARDA: Obiit anno 840.	HVGO, Preſbyter & Abbas nuſquam coniugatus obiit anno 844.

	1.		2.	
LOTHARIVS Imperator, Vxor ERMENGARDA filia HVGONIS Alſatiæ Comitis, obiit 876.	CONRADVS Dux Burg. 1. Adelaidis maritus, obiit 861.	ADELAIS bis nupta matertera Lotharij II.	ROBERTVS Fortis 2. Adelaidis maritus, obiit 867.	GISELA iuncta Euerardo Duci Foroiul.

LOTHARIVS II. Nepos Adelaidis, obiit an. 869.	VVELPHVS Abbas S. Columbæ ob. an. 881.	HVGO Abbas Dux Burg. obiit 887.	ODO Rex Franciæ obiit 898.	ROBERTVS Rex Franciæ obiit 922.	BERENGARIVS Roberti *propinquus*.

CAPVT

CAPVT IX.

HERMENGARDIS *Ludouici Pii vxoris Natales*, NEMERICO *Duci Narbonenſi malè attributi: Falſa etiam eiuſdem Ludouici cum* IVDITHA *conſanguinitas.*

ETsi Theganus Chorepiſcopus Ludouici Pij coætaneus Hermengar- Cap. 4.
dam priorem eius vxorem *Ingoramni* Comitis filiam aſſeruerit, Ingoramni verò patrem, *fratrem* fuiſſe *Chrodegrandi* Pontificis, quem *Sigramno* Haſbanienſi Duce, & Landrada Pipini ſorore natum docent nos Paulus Diaconus, necnon acta Monaſterij Gorzienſis, quod ipſe fundauit: Maluit tamen Chiffletius ex Guidone de Baſochiis, & Alberico poſterioris æui ſcriptoribus, illuſtriſſimæ Reginæ natales ab *Arnoldo de Bellanda*, qui nuſquam fuit, otioſè repetere. Huius verò inſtituti ratio duplex fuit; prima, vt nullam cum Ludouico Pio, & Hermengarda conſanguinitatem interceſſiſſe demonſtraret, quæ aliàs ducto à Sigramno ſtemmate in tertio, & quarto gradu reperiretur; altera, vt antiquos Septimaniæ Duces, ſecundæ Regum Francorum familiæ propinquitate iunctos, ab ipſa comprobaret alienos, licèt contrarium pluribus ex hiſtoriæ certa fide colligatur. Vt autem

propoſitum ſuum firmet, ait nullas de *Hermengardis* cum Ludouico Pio nuptiis Epiſcoporum fuiſſe querelas, ſecundo tamen eius cum *Iuditha* coniugio, quia illam Ludouico ſanguine propinquam, putauit ſanctus Fridericus Vltraiectenſis Epiſcopus, Pium Imperatorem à beato Pontifice grauiter
Ad annum 833. & 769. fuiſſe obiurgatum: quare cùm Guido de Baſochiis & Albericus tradiderint, *Nemericum* filium Arnaldi de Bellanda, *nepotem* Garini de Montglane, *patrem* fuiſſe Guillelmi Ducis Narbonenſis, ac *Hermengardis* Ludouici Pij vxoris, eam potiùs amplectitur originem, quàm à Thegano propoſitam.

Verùm vt ne iterum pertractem, quâ facilitate coniuges ſibi reges aſſumpſerint, quóve gradu ritè peragerentur nuptiæ, cùm de his ſuprà ſatis egerim prima parte Cap. XI. aſſenſum tamen Epiſcoporum in Ludouici Pij cum Hermengarda coniugio interceſſiſſe dubitare non debuit Chiffletius eâ potiſſimùm ratione, quam ipſe in contrarium adducit, nullas ſcilicet tunc fuiſſe Epiſcoporum querelas, ac præterea vetus auctor Vitæ Ludouici Pij
Ad ann. 769. nominatim tradat hunc *cum conſilio ſuorum Hermengardam futuram Reginam claris ortam natalibus, vtpote filiam* INGRAMNI *Comitis* ſibi ſociaſſe.

Falſum inſuper quod Guido de Baſochiis, & Albericus ſtemma pertexuere, nullibi enim *Arnaldi de Bellanda* mentio præterquam apud Philomenam, & Turpinum, qui commentis & portentoſis fabulis Caroli Magni acta conſperſere, & Arnaldum

hunc à Caroli partibus dum Pompelonem obſideret contra *Aigolandum* ſtetiſſe referunt. Sed vt auctorum qui de illo ſcripſere fides ſuſpecta, ita & eius recens nomenclatura; Caroli enim tempeſtate Franci vnico nomine appellabantur, nec inducta cognomina niſi cùm feuda hæreditario iure fuere poſſeſſa: Exemplum ſubminiſtrat charta Monaſterij Celcinianenſis apud Aruernos circa finem ſæculi noni ſcripta, in qua ſic legitur, *Geraldus qui nuncupor de Turre*, cuius tamen pater abſolutè *Bernardus* dicebatur, priùs enim ignota cognomina, diúque obtinuit vſus etiam ſub Capetinis Regibus, vt proceres ſolo ſe patronymico deſignarent, vt in ſtemmate Biſcaiæ Comitum occurrit *Enecus Lupi*, quia pater eius vocabatur *Lupus Eneci*, ita *Didacus Lupi* & *Lupus Didaci*; ſic in Comitibus Gaſconiæ *Garſias Sanctii*, & *Sanctius Garſiæ*, ſic in Aſtaracenſibus *Arnaldus Garſiæ*, & *Garſius Arnaldi*: Imò & ab euentu, aut innata quadam facultate, non à poſſeſſionibus ſibi nomina quandoque imponebant, vt in Guillelmo *Capite ſtupæ*, Guillelmo *Sectore ferri*, Godefrido *Griſagonella* videre licet. Inauditæ igitur Caroli Magni æuo à *Beneficiis* appellationes ductæ, quales ſunt *Arnaldi de Bellanda*, & patris eius *Garrini de Montglané*.

Apud Iuſtellum in monu. hiſt. Aruern lib. 5. c. 1.

Sed vt fabulam apertiùs deprehendamus, audiamus Guidonem de Baſochiis: *Karolus Rex ſubiugatis Narbonenſibus in Franciam eſt regreſſus; Hanc ciuitatem Narbonam petiuit à Karolo* ARNALDVS *de*

Bellanda pro filiò ſuo NEMERICO *& obtinuit. Vnde in hoc loco genus Nemerici, quod fuit nominatiſsimum, ex parte declarandum eſt.* GARRINVS *de Montglane verſus Toloſam quatuor habuit filios exercitio militari nominatiſsimos,* ARNOLDVM *de Bellanda, qui fuit in Lombardia, &c.* NEMERICVS *verò Arnoldi filius ſeptem filios habuit,* BERNARDVM *patrem Bertramni, Bouonem de Commarceio, cuius fuerunt tres filii Guido, Guielinus, & Gerardus;* GVILELMVM AVRASICENSEM, *Arnaldum Aureliacenſem, &* GARINVM *de* ANSCONA, AYMERVM *captiuum. Horum fuerunt ſorores vxor Imperatoris* LVDOVICI ERMENGARDIS. Quantum hæc commentum redoleant vide Chiffleti, & audi vetus Gallicum poëma de Willelmo NEMERICI vt putas filio, cui titulus *le Charroy de Niſmes.*

Seignor & Dames per Déu ore eſcoutés,
BONE CHANSON *iames tele n'orres,*
C'eſt de GVILLAVME *le Marchis au Cortnes,*
Le meillor home qui de femme feuſt nés.

Sic deinde genus eius, eodem fere quo Guido de Baſochiis ſenſu, proſequitur, ac Guillelmum de gente ſua interrogatum reſpondentem inducit.

Gentix hom' Sire ſe i'oſaſſe parler,
Ie demandaſſe de quel terre eſtes nes,
Et de quel gent, & de quel parenté:
Voir dit GVILLAVME *ia orras raconté*
Qu'ains por nul home ne fu mon nom celé,
Ge ſuis GVILLAVME *de* NARBONNE *fuy né,*
*Fils d'*AYMERY *le Viel chenu barbé,*

Et ERMENGARD *eſt ma mere au vis clair,*
Frere BERNARD *de Brebant la cité,*
Frere GVERIN *qui tant faut à loüé,*
Frere GVIBERT *d'Audernas le mcins né,*
Si eſt mes Freres le chetif Aymery.

Ermengardam hoc loco Guillelmi matrem, non ſororem dicit hic poëta, eam verò quam Ludouico Pio matrimonio iunctam refert, *Alboſledem* vocat, vt veteri Germanica voce vtar, quam ipſe *Blancheſleur* interpretatur; At quam hæc narratio cum veritate parum conueniat aduertit quàm oppidò Ordericus Vitalis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lib. VI. vbi ſic habet: *Nunc quia de ſancto* GVILLELMO *nobis incidit mentio, libet vitam eius breuiter inſerere: Noui quòd ipſa raro inuenitur in hac prouincia, & nonnullis placebit de tali viro* RELATIO VERIDICA: *Hanc enim Antonius Guentonenſis monachus nuper detulit, & nobis eam videre deſiderantibus oſtendit. Vulgo canitur à* IOCVLATORIBVS DE ILLO CANTILENA, *ſed iure præferenda eſt* RELATIO AVTHENTICA, *quæ à religioſis* DOCTORIBVS SOLERTER *eſt edita, & à ſtudioſis lectoribus reuerenter lecta eſt, in communi fratrum audientia.*

Abiectis igitur Guidonis de Baſochiis, & Alberici mendaciis, ex actis ſancti Guillelmi conſtat hunc patre *Theoderico* natum, quem Eginardus ad annum 782. *Comitem propinquum Regis*, id eſt Caroli Magni vocat, matre *Aldana*, de cuius genere infrà dicemus: Huic binos tantùm filios aſſignat eius

Vita, *Bernardum* ſcilicet *& Guillelmum*, totidémque ſorores *Albanam* & *Bertanam*, in charta tamen fundationis Monaſterij Gellonenſis ab ipſo peractæ XIX. *Kal. Ianuar. indictione* XIII. *anno quarto Imperii Domini Karoli Sereniſsimi Auguſti, Regnique Francorum* XXXVI. id eſt anno 806. meminit liberorum ſuorum *Witeari, Gotsleni, & Herberti*; vxorúmque ſuarum *Chunegundæ, & Guibergæ*, nec non fratrum ſuorum *Theodoini, & Adalelmi*, quos auctor eius vitæ prætermiſerat. Bernardum illius filium *de ſtirpe Regali* oriundum refert Theganus Chorepiſcopus; ac Duodenam vxorem Aquiſgrani duxiſſe, docet nos ipſius Manuale, *quod ad filium ſuum tranſmiſit Willelmum*: Hanc Ariberti ſororem fuiſſe Tilius exiſtimauit, quia in eius libello hæc circa finem verba leguntur: *Similiter & de Domino* ARIBERTO AVVNCVLO TVO, *rogo te ſi ſuperſtes fueris, nomen illius cum ſuprà ſcriptis perſonis iube tranſcribi orando.* Verùm hic *auunculus* pro patruo vſurpatur, *& Aribertus* idem ille eſt, quem charta fundationis monaſterij Gellonenſis *Herbertum* Vuillelmi filium dixit, & auctor Vitæ Ludouici Pij *Heribertum Bernardi fratrem luminum amiſsione mulctatum*; quare cùm Bernardus Willelmi II. pater fuerit, vt ex eodem Manuali, Nithardo & Annalibus S. Bertini ad annum 848. abundè conſtat, *Aribertum* ſeu Heribertum eius *auunculum* dixit eius mater Duodena.

De Comitibus Toloſanis.

Lib. 3.

In toto hoc ſtemmate nulla Ermengardæ mentio, quæ ſi ſanè occurreret ſtrictior foret eius con-

ſanguinitas cum Ludouico Pio, quàm ex parte Ingoramni, reperiretur enim in tertio gradu. non enim *Theodericus* Comes Caroli Magni *propinquus* dicitur, veluti *Childebrandi filius*, ſed quod Aldanæ nupſerit Pipini ſorori, vt apertè declarat vetus Martyrologium ſemilacerum Prioratus Catuſienſis in Aquitania I. cuius hæc ſunt verba. *In valle Gellonis v. Kal. Iunii Natale S. Vvillelmi, qui relicto ſæculo monachus effectus nunc miraculis claret, pater eius fuit* THEODERICVS, MATER ALDANA, *ſoror* HELTRVDIS *&* LANDRADÆ. Ideóque hanc *de ſummis Franciæ Principibus* natam refert vetus auctor Vitæ S. Vvillelmi, cuius pro ſolita ſua humanitate copiam mihi fecit C. vir Petrus Caſanoua Toloſas de re antiquaria optimè meritus: ſic enim habet: *Inclytæ laudis, ac perennis memoriæ* PIPINI *Regis tempore, natus eſt* B. VVILLELMVS *de præclara* FRANCORVM PROGENIE, *ex patre videlicet nobili, magnóque* CONSVLE THEODERICO *nomine, cuius mater æquè generoſa, & nobiliſſima Comitiſſa dicta eſt* ALDANA: *Anibo quidem de ſummis* FRANCIÆ PRINCIPIBVS *Conſules ex Conſulibus.* Landradam Aldanæ ſororem Sigramno Haſbaniæ Duci, Heltrudem Odiloni nupſiſſe certum eſt; ſic igitur exploſâ ex Septimaniæ Ducum genere Hermengardâ, & in Haſbanienſium reiectâ, Ducum Septimaniæ, & Haſbaniæ ſtemma inſtituemus.

Digitized by Google

Verum ſtemma vxoris LVDOVICI PII HERMENGARDÆ, *ac Ducum Septimaniæ.*

CAROLVS MARTELLVS Princeps Francorum: Vxor ROTRVDIS.

- PIPINVS Rex Franc. Vxor BERTHA.
  - CAROLVS M. Vxor HILDEGARDIS.
    - PIPINVS Rex Italiæ: Vxor BERTHA filia S. Vvillelmi.
    - LVDOVICVS Pius: Vxor HERMENGARDIS.
- LANDRADA nupta SIGRAMNO Haſb. Duci.
  - N--- Frater CRODEGANDI Metenſis Epiſc.
    - INGORAMNVS Dux Haſbaniæ.
      - HERMENGARDIS nupta LVDOVICO Pio.
- HILTRVDIS iuncta ODILONI.
  - TASSILO Dux Bauariæ.
- ALDANA nupta THEODERICO Comiti.
  - S. VVILLELMVS: Vxores CHVNEGVNDA, & GVIBERGA.
    - BERNARDVS: Vxor DVODENA.
      - VVILLELMVS decollatus anno 850.
      - BERNARDVS II.
      - N--- Vxor VVLGRINI Comitis Engoliſm.
    - HERIBERTVS, VVILLELMVS, VVITHEARIVS, GOZLENVS, BERTA.
    - GERBERGA Sanctimonialis, aquis præfocata.
  - THEODOINVS: ADALESMVS: ALBANA: BERTHANA.

Vt falſum *Ermengardæ* genus à Ducibus Septimaniæ repetitum, ita & *Iuditha* à Gothefrido Sueuiæ Duce deductum; nullo enim auctore ad Vvelphum Altorfi Comitem Iudithæ patrem huius lineam deflectis Chiffleti: nam quis te docuerit *Nebi* Gothefridi *nepotem*, & Houchingi *filium* Hildegardis Caroli M. coniugis *patrem*, vxoris quoque Comitis Altorfi fuiſſe genitorem, ex qua deinde natus Iſembertus Vvarinus, Vvelphi pater & Iudithæ auus, vellem ſupplex vt in medium proferres, vt inde quam excogitaſti Ludouici Pij cum Iuditha con-

conſanguinitatem confirmares ; Habes quidem auctores Vitæ ſancti Friderici Vltraiectenſis Epiſcopi, quorum primus Ioannes de Beka hanc Ludouico Pio *ſanguine propinquam* refert, alter Willelmus Heda, *Ludouici neptem*, vnde cùm ſanctus præſul paulo aſperiùs Imperatorem redarguiſſet, vt Iuditham dimitteret, iratam Reginam, in illum ſiccarios immiſiſſe narrant. Verùm ex his ſcriptoribus antiquior anno 1385. vixit, alter obiit anno 1552. & quidem apud coætaneos nihil tale reperiri optimè obſeruauit Arnoldus Bucherius in notis ad hiſtoriam Epiſcoporum Vltraiectenſium : Non enim in actis depoſitionis Ludouici Pij vetiti huius thori mentio prætermiſſa fuiſſet, cùm minora etiam crimina ipſi obiicerentur à filiis, & qui odium illorum incitabant, non inceſtas nouercæ nuptias aſpergerent, ſed hanc adulterij cum Bernardo Duce Septimaniæ B. Guillelmi filio, ream poſtularent. Id non etiam Agobardus Ludouico Pio infenſus omiſiſſet : vnde quid de huiuſmodi Friderici vitæ ſcriptoribus ſenſerit clariſſimus Pithœus, antiquis doctrinâ nihil inferior, vide in præfatione ad Annales veteres Francorum : *Annalium*, inquit, *iſtorum ſcriptorem Caluo noſtro ad calumniam vſque iniquum minus mirabitur, qui Moguntiæ ſub Ludouici filii illius ditione conſcriptos ſciet, leuiùs etiam laturus cùm in pium patrem ac Iuditham turpiſſima* CONVITIA FRIDERICI *Traiectenſis Epiſcopi* HISTORIÆ *inſerta legerit*. Quare cùm falſa ſit, & commentitia Iudithæ cum Ludo-

uico Pio conſanguinitas, falſum etiam, quod vt eam demonſtrares, ſtemma pertexuiſti.

CAPVT X.

Ortus fœminei quibus à CAROLO M. *traxit originem* HVGO CAPETVS *ab Aſſertore Gallico notati, germani ſunt, atque perfecti.*

LICET ea ſit Francici Regni conditio, vt in eius ſucceſſione nulla fœminarum ratio habeatur; ſed in infinitum ſolis maſculis ſtirpis regiæ ſit aperta; quia tamen per fœminarum coniugia ſplendor quandoque generi accedit, ortus quoſdam in Aſſertore Gallico notauimus, quibus per fœminas Hugo Capetus à Carolo Magno ducit originem, non vt inde ius vllum ipſi in Regnum Francicum quæſitum demonſtraremus, ſed eius generis dignitati Caroli Magni cognationem acceſſiſſe, eóque potiſſimùm, quòd Chiffletius Reges Francorum ab eo prognatos, ne per fœminas quidem à Carolo Magno legitimè ortos aſſeruiſſet.

Stemmata igitur à nobis delineata cenſorio calamo perluſtrans vir eruditus, ea plerumque commentitia reputat, ac primùm malè me Aganæ Roberti Saxiaci vici vxoris, genus ad Hugonem Capetum retuliſſe, cùm Robertum Fortem à Thiet-

berto Comite nulla ratione prodiiſſe demonſtrarit; Sed cùm iam fuſè ſuprà cap. III. contrarium probauerim, & Aganam Roberto iunctam tum ex vita ſancti Genulfi, tum alia ſancti Iacobi, *à ſanguine Regio Francorum* originem traxiſſe, ſupereſt vt Hugonem Capetum huius Roberti trinepotem regio quoque Francorum ſanguine ortum exiſtimemus.

Sic Adelaidem Roberti Fortis vxorem Hugonis Abbatis Caroli Magni ex Regina filij, ſobolem eſſe finxit, ac proinde malè me hanc Ludouici Pij filiam iactaſſe: Sed cùm Hugonem nuſquam coniugatum fuiſſe cap. VII. perſpicuè oſtenderim, ac cap. ſequenti Adelaidem Ludouici Pij filiam eſſe cenſendam, iam in fumum euaneſcit eius obſeruatio, rectéque definitum manet Hugonem Capetum per Adelaidem Ludouici Pij ſobolem à Carolo Magno procreatum.

Ita *Beatricem* Roberti primi Regis vxorem, non Heriberti I. Comitis Veromanduorum filiam, ſed ipſius Roberti Regis eſſe contendit, contra fidem auctoris deſtructionum Eccleſiæ Corbeienſis, Flodoardo contrariæ ſententiæ aſſertore antiquioris, contra Continuatorem Aimonij, Hugonem Floriacenſem, Guillelmum Gemeticenſem, qui bis in eadem permanet ſentẽtia, Chronicon Odoranni, & Philippum Mouſk, qui ſub B. Ludouico hiſtoriam Francorum Gallico metro compoſuit; cùm ergo Comites Veromanduenſes à Pipino Caroli Magni

Ad ann. 899.

Lib. 2. c. 11. Lib. 8. c. 26.

Digitized by Google

filio primogenito proueniant, dubium non eſt quin Hugo Capetus per Beatricem eius auiam à Carolo Magno deſcendat.

Verùm in Vindiciis Hiſpanicis dixit Chiffletius Bernardum Veromanduenſium Comitum auctorem, ex illegitimo Pipini thoro procreatum; ſed Theganum, & Reginonem ideò huiuſce opinionis auctores fuiſſe ſatis conſtat, quòd Pipinus vxorem duxiſſet *Bertanam*, ſeu *Bertam* B. Willelmi Ducis Septimaniæ filiam, vt docet nos charta Montis Caſſini, quam ex ſtemmate ſuprà delineato tertio conſanguinitatis gradu Pipino iunctam fuiſſe perhibetur, quæ coniunctio licèt Canonicæ diſciplinæ aduerſetur, ab Epiſcopis tamen intercedente diſpenſatione fuiſſe comprobatam inſinuat epiſtola Alchuini Abbatis ad Pipinum, quâ ſic illum adhortatur: *Eſto honeſtus in conuerſatione, caſtus in corpore, lætare cum* MVLIERE *adoleſcentiæ tuæ, & non ſint* ALIENÆ *participes tui, vt benedictio tibi à Deo data in longam nepotum procedat poſteritatem.*

To. 2. ſcriptor. Franc. pag. 687.

Tertiam Regum Francorum originem, ab *Adelaide* Comitis Pictauorum filia Hugonis Capeti vxore petitam, impugnat etiam vir eruditus, ex eo quòd Helgaldus Floriacenſis, qui Roberti II. cuius ipſe coætaneus fuerat, vitam concinnans, matris eius originem ab *Auſoniæ partibus deducat, ſicut ipſe Rex Robertus eius filius, ſuis ſanctis & humillimis aſſerebat verbis.* Sed ne ſenſum auctoris traducas Chiffleti, alia eſt Helgaldi ſententia, loquebatur

enim Robertus de propria ſui ipſius origine: Sic enim habet initio: *Fuit Rex Francorum* ROTBERTVS *origine natus nobiliſſima, patre illuſtri* HVGONE, *matre* ADELAIDE *vocitata, quæ adeò bene laudata tanti filii digna extitit prærogatiua. Eius inclita progenies ſicut ipſe ſuis ſanctis & humillimis aſſerebat verbis, ab* AVSONIÆ *partibus deſcenderat; probis hic actibus decoratus creſcebat quotidie meritorum lumine, qui erat inſignitus totius ſcientiæ perfectione. Huius igitur ſtatura corporis eminens, cæſaries admodum plana, &c. Corona capiti impoſita decernebat eum* AVIS & ATAVIS *ſtirpe proceſſiſſe* REGIA. Prior huius orationis periodus velut abſoluta puncto clauditur, tum priorem de Roberti origine ſermonem reſumens Helgaldus, ait hunc ex *partibus Auſoniæ* deſcendiſſe: nec de Adelaide verba hæc intelligenda, palam arguit ſequens clauſula, quæ de Roberti actibus, & ſtatura concepta eſt, necnon de ejus Auis, & Atauis ſtirpe regia prognatis. Sed cur illum Helgaldus ex partibus Auſoniæ, ex ipſius Roberti relatione deducat, inde haud dubiò ratio repetenda, quòd in ipſius familia *Ansberti*, & *Ferreolorum* traditio nondum periiſſet, quos quia *Romanos*, licèt Galli fuerint, audierat nuncupatos, ex *Auſoniæ*, ſiue Italiæ partibus ſe deſcendiſſe bona fide ſuaſerat.

Aliunde igitur quàm ab Italia Adelaidis Roberti Regis matris natales deducendi; & quidem hanc Aquitanicam, ac *de progenie Caroli Magni Imperatoris*, apertè declarat fragmentum Hiſtoricum

Digitized by Google

Tom. 3. Collect. hiſt. Franc. pag. 344. Monaſterij ſancti Maglorij Pariſienſis, per *Adelaidem* ſcilicet Ludouici Balbi *filiam*, Ranulphi II. Comitis Pictauorum *vxorem*; vt ex charta ſancti Hilarij Pictauenſis in Aſſertore Gallico docui; eáque cauſa eſt cur Willelmus Malmeſburienſis, Ebolum II. de ſtirpe Caroli Magni ortum referat.

Pag. 29.

Quartum Regum Francorum ortum ab Ermengarda Caroli Lotharingiæ Ducis filia repetitum, non reuocat in dubium Chiffletius, quia eundem in ſuam cauſam ipſe pertexuit: ſed cùm aduerterim Ermengardis ſanguinem ad Hiſpanos tunc perueniſſe, cùm Maria Burgunda Maximiliano I. Imperatori matrimonio iuncta fuit, longè poſtquam ad Capetinos Reges deflueret; ſubiungit ille, Alphonſum VII. Hiſpaniæ Regem Caroli ſanguine ſatum fuiſſe integro ſæculo, priùs quàm Ludouicus VIII. Franciæ Rex eo delibutus eſſet. Sed ad hæc reſpondeo Adelaidem Ludouici Pij filiam, Beatricem Veromanduenſem, Adelaidem Aquitanicam longè ante Alphonſum VII. Caroli Magni ſanguinem ad Capetinos Reges pertuliſſe; eadémque ſufficient, dum ait, ab Albrada Ludouici IV. filia, ex qua ſextum ortum deduxi, per Ermengardam eius filiam Othonis Willelmi Burgundiæ Ducis vxorem, ad eundem Alphonſum Caroli genus deriuaſſe duobus fere ſæculis, antequam Ludouicus Hutinus Franciæ Rex à Mathilde eiuſdem Ludouici IV. filia, à qua quintum ortum replicaue-

Digitized by Google

ram, orireтur. Nec bona fide agit vir eruditus, cũ ex Willelmo Nangio tradit, Iſabellæ Hannoniæ cum Ludouico VIII. coniugio, Regnum Francorum ad progeniem Caroli Magni rediiſſe: non hoc ſonant Hiſtorici verba, quæ ſic habent: ERMENGARDIS *verò nupta fuit Comiti Namurſiæ, de qua deſcendit Balduinus Comes Hannoniæ, cuius filiam* YSABELLAM *deſponſauit* PHILIPPVS AVGVSTVS *Rex Francorum, & genuit ex ea* LVDOVICVM *Regem; quem dicimus* ETIAM HOC MODO *deſcendiſſe de* PROGENIE *Caroli Magni.* Addit, *etiam hoc modo*, Monachus S. Dionyſij, Ludouicum Regem ex Caroli Magni ſanguine procreatum, vt oſtendat Imperatoris Magni genus ad ipſum pluribus aliis ramis perueniſſe.

Quantùm ad VII. VIII. & IX. à Giſela Ludouici Pij filia defluentes ortus, propterea quòd in Othonem Guillelmum concidant, à quo bis in Hiſpanos Reges Caroli Magni genus diffunditur, etiam amplectitur aduerſarius, quia Giſlæ ſanguinem priùs in Hiſpanos, quàm Francos Reges transfuſum putat. Sed cùm Adelais Roberti Fortis vxor, Giſelæ ſoror fuerit ex Hermengarda, prima Ludouici Pij coniuge, certè priùs ad Reges noſtros Giſelæ ſanguis defluxit, quàm in Hiſpanos.

Ortu verò X. XI. & XII. in eum me labyrinthum ingreſſum putat, à quo ne Ariadnæo quidem filo poſſim me expedire: in primis enim Adelaidem, ex Ludouici Pij lumbis perperam eduxiſſe, Petro-

nillam verò eius ſororem, ipſius filiam adfinxiſſe, iterum animaduertit; ſed cùm iam ſatis ſupérque Adelaidis cauſa fuerit ventilata, & Hugonem Abbatem Caroli Magni filium, quem ipſi patrem Chiffletius aſſignabat, nuſquam coniugatum fuiſſe liquidò comprobauerim, certi manent Adelaidis à Ludouico Pio natales deriuati, eadémque ratione de alio Hugone, quàm Abbate Reginæ Caroli concubinæ filio, auctoris geſtorum Comitum Andegauenſium narratio intelligenda, quæ optimè conueniet cum rei veritate, ac temporum calculo, ſi Petronillam Hugonis II. Abbatis Ducis Burgundiæ Conradi, & Adelaidis filij, *ſororem* putauerimus, quæ rectè Hugonis Magni Abbatis ſancti Martini Turonenſis Amita, ſeu prauo huius ſæculi loquendi more, quo vtitur Chronicon Andegauēſe, *Matertera* deprehendetur. Nec tam mordicus in huius auctoris, qui niſi cum temperamento legendus eſt, verbis inhærendum: Mauricium enim Comitem Andegauenſem effinxit patrem Fulconis Neræ, cùm tamen ex optimis auctoribus, ac pluribus aliis monumentis conſtet, Fulconis Neræ patrem fuiſſe Godefridum I. cui cognomen Griſagonella; quare non mirandum, ſi quam Hugonis Magni ſororem dicere debuit, filiam appellauit, eóque potiſſimùm, quòd de rebus à ſe longè remotis ſermonem inſtituerit, veluti qui vixerit anno 1225.

Sed quàm ſcriptoris geſtorum Andegauenſium dubia ſit fides, & quàm parum characteres, in tua

tabella

Digitized by Google

tabella notati, cum eius narratione conueniant, ex ipſius verbis deprehendes.

Ais enim Petronillam anno 860. vel matrimonio iunctam Tertullo Waſtinenſium Comiti, vel hoc anno deceſſiſſe, at nondum Tertullus è Britannia in Franciam peruenerat, ſic enim habet is auctor: *Etenim circa id tempus, quo Karolus Caluus Ludouici filius Karoli Magni Imperatoris nepos, ex Tetrarcho Monarchus factus non longo regnauit ſpatio, prædictus* TERTVLLVS *paternæ poſſeſſionis relinquens anguſtias, & per confidentiam ſtrenuitatis volens, & ſperans ſe exaltari, ab Occidentalibus finibus progreſſus, in Franciam abiit, & clientelam Regis militaturus adiit.* At hæc verba ad aliam epocham referri non poſſunt, quàm ad annum 875. quo iam Carolus Caluus fratribus, & nepotibus ſuperſtes in regnum Lotharij Metis ſublimatus, Imperator deinde à Ioanne VIII. Pontifice coronatus fuit. Sub eodem Carolo Caluo vxorem duxiſſe Petronillam Tertullum Comitem, ait idem auctor, ac Ingilgerium regnante adhuc Carolo Caluo natum, Tertullum denique Carolo decedente vitâ functum: hæc ſunt eius verba: *Ea de cauſa vndecumque viri militares ad eum,* CAROLVM *ſcilicet, veniebant, quos ille ſibi acciſcens, & charos habens, ita quemque magis diligens honorabat, ſicuti potiorem in fidelitate & fortitudine comprobabat; Inter quos* TERTVLLVM *de quo agimus, ob merita ſua charum habens, & vxorem ei cum aliquanto beneficio in Laudonenſi caſtro tribuit, nec non & cum aliquibus terris tam in pago Gaſtinenſi,*

Ex codice Bibliothecæ Regiæ.

quàm in locis aliis per Franciam caſatum fecit; ſed ipſe Rex interim maximâ diſpoſitionum ſuarum parte interruptâ, rebus mundanis morte per proſpera perueniente ſubſtractus eſt. Et paulò pòſt : *Circa id tempeſtatis mortuo* TERTVLLO, *in Francia filius eius nomine* INGELGERIVS *hæreditatis ipſius poſſidens remanſit, ſub* CAROLO *tamen generatus.* Si ergo anno 875. Tertullus in Franciam venit, ex præmiſſis hunc Petronillæ nupſiſſe oportet, aut eodem anno, vel ſequenti, ac Ingelgerium natum 877. quo defunctus Carolus Caluus poſtquam duobus annis Imperium obtinuiſſet, necnon Tertullus Ingelgerij pater. Ingelgerium ſub Ludouico Balbo *Ælendæ* Adalaudi, & Ramonis nepti matrimonio iunctum refert idem ſcriptor, & ex eo Fulconem Rufum procreatum ipſo Ludouico Balbo imperante, ſub quo Fulconis pater Ingelgerius è viuis exceſſerit. Sic enim habet: *Namque* TERTVLLVS *nobilem duxit vxorem Ducis Burgundiæ filiam nomine* PETRONILLAM *cui hunc puerum peperit; Hic itaque prædicto* LVDOVICO, Balbo ſcilicet, *præſente, Miles efficitur.* deinde: *poſteà verò ipſe Rex prædictus Vicecomitatum Aurelianenſis ciuitatis in caſamento dedit, deinde verò apud Turonos regiam præfecturam aſſequutus, terram illam à Normannis viriliter defendit, ibique ipſi ſapienter, ac iuſtè officium commiſſum procuranti, Turonenſium nobiles, atque Pontifices* ADALAVDVS *&* RAMO, *ambo germani fratres, & ex Aurelianenſi vrbe nobiliter nati neptem ſuam* ÆLENDAM *nomine, ei in coniugium copularunt.*: Et infrà, *Talia agitans* INGELGERIVS

Digitized by Google

morte obiit: cui filius eius FVLCO, *ille qui cognominatus eſt* RVFVS *ſucceſſit*: poſtmodum de Fulcone verba faciens: *Mortuo itaque patre ſuo tempore* LVDOVICI *Regis nil facientis*.

En modò, quo pacto cum veritate cohæreat huius auctoris narratio. Sub Carolo Caluo natus eſt Ingelgerius, quod ante annum 877. aut anteriorem fieri non potuit, cùm non ante 875. ex eius mente Tertullus in Franciam venerit, nec Petronillam duxerit vxorem. At ſub Ludouico Balbo idem Ingelgerius Ælendæ nupſit, & Fulconis Rufi pater extitit, ac deinde mortem oppetiit: ſequitur hunc intra biennium & ſtrenuum militem extitiſſe, & liberos procreaſſe, cùm certum ſit Ludouicum Balbum anno 879. deceſſiſſe. Vt contra naturam pugnat hæc narratio, ita & contra veterum teſtimonia, Ingelgerus enim in capitulis ann. 877. Cariſiaci conſtitutis, inter Comites Ludouico Balbo conſiliarios & aſſeſſores aſſignatos recenſetur, vnde colligitur iam hunc eâ tempeſtate ætatis perfectæ fuiſſe virum, qui ex auctore Comitũ Andegauenſium, adhuc lactens eſſe debuerat. Odo præterea Cluniacenſis, qui rectè ad noſtram mentem hunc *Hugonis* Magni Burgundiæ Ducis NEPOTEM vocat, tractatu *de reuerſione corporis ſancti Martini ab Antiſsiodoro*, notat in viuis adhuc illum fuiſſe ann. 887. adeo vt plena ſanitate fruatur, qui priùs ann. 879. ex eiuſdem auctoris mente deceſſerat. Quem igitur in tam ridicula incidiſſe vides, cur non & Petronillam

Digitized by Google

Ducis Burgundiæ filiam malè dixiſſe, tibi ſuadebis, eóque potiſſimum, quòd Hugo Abbas Caroli Magni filius, quem ipſi patrem aſſignas, & perperam cum altero Hugone Burgundiæ Duce permiſces, nuſquam fuerit coniugatus.

Et quidem errorem tuum, ac ſuum detegit idem auctor, dum Fulconem Rufum ab Hugone Duce Burgundiæ, *quem Abbicomitem* vocat, Caroli Simplicis tutore, Comitatu Andegauenſi donatum tradit: ſic enim habet, *Iſte*, Hugo Abbas, *Fulconi Rufo ſibi per* AVIAM *ſuam conſanguinitate, ſicut prædictum eſt, & nobis traditum coniuncto, Comitatum Andegauenſem, qui priùs bipartitus erat, donauit.* Ergo iſte *Hugo Abbas* idem ille eſt, quem anteà Burgundiæ Ducem abſciſſè dixit, qui cùm improlis exceſſerit ann. 887. nemo eſt qui non videat Petronillam ex Adelaide eius fuiſſe ſororem, non filiam, ac proinde Fulconem eius ex ea pronepotem, ideóque conſanguinitate iunctum, ſicut & Carolum Simplicem, quem ipſi ea de cauſa tutorem datum narrat idem auctor, quia *orphani illius ex parte matris* CONSANGVINEVS *erat*: Adelaidis eiuſdem ſcilicet Ludouici Pij filiæ, Caroli Simplicis amitæ magnæ.

In alio exemplari HVGO *Dux Burgundiæ filius alterius* HVGONIS dicitur, quod ſi ita eſt Chiffleti, non Hugo, quem Petronillæ patrem affingis, Conradi ſoboles eſt, ſed Hugonis Caroli Magni nothi per te Burgundiæ Ducis, nec Adelaidis *filius*, ſed *frater*; vnde ex eodem auctore Conſulū Andegauenſium,

Digitized by Google

vt tua ſtet opinio, Hugo II. Abbas, non Hugonis alterius *filius* cenſendus eſt, ſed *nepos*. At ſi *filij* vocabulum malè hîc pro *nepote* repoſitum vides, cur non & cùm de Petronilla idem ſcriptor loquitur, hanc Hugonis II. Abbatis, malè *filiam* accepiſſe, cùm niſi *ſoror* eſſet, exiſtimabis, tum præcipuè, cùm cæteræ cognationes ab Odone Cluniacẽſi, & Chronico Turonenſi deſignatæ apprimè conueniant, vt ex ſubiuncto ſtemmate deprehendemus, ſi priùs aduerterimus Fulconem Ingelgerij filium ann. 929. pro anima vxoris ſuæ *Roſcillæ*, pro *Ingelgerio* genitore, ac *Warnerio* ſocero, eiúſque vxore *Teſcenda* curtem *Chiriaci* Monaſterio S. Albini, ac S. Licinij, cuius ipſe Abbas erat, ad integrum conceſſiſſe *Regnante Rodulpho Rege, ann.* VII. vt conſtat ex veteri charta Monaſterij S. Albini Andegauenſis.

Stemma PETRONILLÆ TERTVLLI *Waſtinenſis Comitis vxoris.*

LVDOVICVS PIVS: Vxores: HERMENGARDA, & IVDITH. Obiit 840.

CAROLVS Caluus ex Iuditha: Vxor HERMENTRVDA. obiit 877.	CONRADVS Dux Burgund. 1. Adelaidis maritus. obiit 862.	ADELAIS ex HERMENGARDA. bis nupta.	ROBERTVS Fortis Dux & Marchio Franc. 2. Adelaidis maritus, obiit 867.	
LVDOVICVS Balbus: Vxor ADELAIS. obiit 879.	HVGO Abbas Dux Burgun. conſãguineus Caroli Simplicis, ob. 887.	PETRONILLA, Vxor TERTVLLI, matertera HVGONIS magni.	ODO Rex Franc. Vxor THEODRADA. obiit 898.	ROBERTVS Rex Franciæ: Vxor BEATRIX. obiit 923.
CAROLVS Simplex: Vxor ODGINA. obiit 929.	INGELGERIVS Comes Vvaſtinenſium nepos Hugonis Burg. Ducis: Vxor ÆLENDA: obiit anno 889.		ARNVLFVS Rex Aquitaniæ. ob. 898.	HVGO M. Dux Burg. Abbas S. Martini Turon. Vxor HAVVIDIS Saxonica, ob. 956.
	FVLCO cognomento RVFVS: Vxor ROSCILLA Vvarnerij, & TESCENDAE filia, adhuc ſuperſtes anno 919.			

Superſunt adhuc bini ortus, XIII. ſcilicet, & XIV. à Carolo M. per Pipinum Italiæ Regem ad Francorum reges delapſi, quos non attingit Chiffletius, quia in decimum Adelaidis ortum, quem falſum eſſe ſibi ſuaſit, inſeruntur: ſed quàm captioſus ſit vir eruditus, videat lector æquiſſimus; conueniunt quidem hæc ſtemmata cum decimo Adelaidis ortu, quia in Mathildem Gaufridi Andegauorum Comitis vxorem confluunt, à qua per Alienordim Aquitanicam Henrici II Regis Angliæ coniugem, Blancæ Ludouici IX. matris auiam, ad Reges noſtros rectà perueniunt; nec Adelaidis Ludouici Pij filiæ, nepotum concurſu indigent, cùm Mathildis Gaufredi vxor, licèt in Adelaidis germano ſtemmate reperiatur, ex ſuo tamen capite à Carolo Magno per Pipinum filium eius primogenitum trahat originem, eiúſque iterùm nepotes per Guillelmum eius maritũ Roberti II. ex Erleua filium, vt ex edito in Aſſertore Gallico ſtẽmate liquidò demõſtratur.

Aſſert. Gal. pag. 40. & 42.

Infinitos propè huiuſmodi fœmineos ortus facilè delineare potuiſſem, cùm præter vnam, aut alteram Regum Capetinorum coniugem, aliæ omnes à Carolo Magno genus ſuum poſſint replicare; Sed quia nihil illæ iuris in Regnum Frãcorum conferunt, certúmque ſit *Hugonem Capetum* ex eodem communi Regum Carlouingiorum ſtipite deſcendiſſe, fœminarum ſtemmata indagaui præcipua, vt inde cognoſceres Chiffleti, quàm leuiter in Vindiciis Hiſpanicis aſſerueris, Capetinos Reges, ne per fœminas quidem à Carolo Magno legitimè pro-

Digitized by Google

creatos, cùm eâdem ob quam Gentem Auſtriacam extollis originem, omnes ferè Germani Principes ſibi poſſint vindicare, id apertè teſtatur auctor Annalium de veterum Thuringiæ Lantgrauiorum origine: *Notandum*, inquit, *quòd genus* CAROLI *non ex toto finem habuit, vt dicitur, ſed tantùm à Romanorum regno finem accepit; nam vt in Chronicis inuenitur,* OMNES REGES FRANCORVM, *&* GERMANORVM, *ſed & Principes, Duces & Comites iſtarum Prouinciarum ſcilicet in Thuringia, in Bauaria, in Franconia, in Pannonia, in Carinthia, in Bohemia, in Morauia, in Sueuia, in Saxonia, in Friſia, in Lotharingia, ſed & nobiles Alemannorum originem duxerunt à* GENERE CAROLORVM. Commune igitur Auſtriacorum Principum à Carolo Magno per fœminas deductum genus, cum omnibus fere Germaniæ proceribus: ſed præter illud quod Francis etiam Regibus proprium, habent hoc inſuper, vt ex eodem maſculo Carolorum primigenio fonte prodierint; adeò vt veriſſimum ſit quod notauit auctor qui Regum Frãcorum ſeriem ſub Ludouico VII. compoſuit, ad calcem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Anaſtaſij Bibliothecarij in codice Bibliothecæ Thuanæ deſcriptam, Ludouico ſcilicet V. ſucceſſiſſe *Hugonem* EX ALTA FAMILIA, vnde natus error illorum qui omiſſo leui calami ductu, hunc *ex alia familia* procreatum tradiderunt. Ij quidem culpâ tenentur, ſed non vt tu dolo malo, qui contra propriam cognitioné, vt eius genus obſcurares, *Odonem* illius *propatruum vno tantùm ſeruulo contentum* ad Carolũ Craſſum Regem in Gallias ex Wi- In Vindic. Hiſpan. pag. 54.

tichindo tradiſ ſe contuliſſe, & tamen hunc Roberto Forte natum aſſeris, quem Conradi Maioris Ducis Burgundiæ, ac Comitis Pariſienſis filium totis viribus probare contendis.

Eandem tuam eſſe proteruiam in multis aliis dum *ſalica*, & *prærogatiua* tua *lumina* attentis oculis, ſi per Deum liceat intuebimur, notum faciemus; interim ſcias velim Chiffleti, me ingenuũ eſſe, nec mendacio calamum, vt incuſas, mancipaſſe. In te veriùs retorqueri poſſet, quo me aſpergis conuitium, cùm veritati quæ tibi tam aperta eſt fucum facias, & contra parta longo ſtudio *lumina*, cæcum te potiùs, quàm perſpicacem exhibeas, iis profectò non abſimilis quorum caligant oculi, quandiu verſantur in tenebris, & modò vagis ignibus illuminari ſe putant. Huiuſmodi ſunt tua NOVA LVMINA, erratica potiùs, quàm vera, aperta tibi, cæteris inuiſa, & quæ profectò ſubitò euaneſcent, ſi nobiſcum lucem meridianam aſpexeris: Hanc licet primùm debiles oculi pati nõ poſſint, aſſuetis deinde pauliſper radiis non refugies, atque vt ſpero Hugonis Capeti fabuloſo ſtemmate eliminato, germanam eius originem cum
Pag. 426.
eruditis San-Marthanis fratribus, qui hanc nonniſi poſt ſeueram diſquiſitionem, non autem vitio tempeſtatis, vt tu illos imprudens arguis, in hac vltima editione peritorum omnium calculo comprobata palam amplexi ſunt, & tu quoque nobis acceptam feres.

FINIS.

Digitized by Google

ADIECTA

AD MAIOREM FIDEM
VARIA ANTIQVITATIS
MONVMENTA,
QVÆ IN OPERIS CONTEXTV
LAVDANTVR.

Digitized by Google

ADIECTA

AD MAIOREM FIDEM Varia Antiquitatis Monumenta, quæ in Operis contextu laudantur.

Ex Vita S. CLODVLFI Epiſcopi & Confeſſoris cum duobus antiquis codicibus comparata, altero S. Arnulfi Metenſis, altero S. Symphoriani eiuſdem ciuitatis, quem ex Bibliotheca clariſſimi viri CLAVDII HARDY in Præfectura Pariſienſi Senatoris, beneficio literatiſſimi viri Petri Petiti nacti ſumus.

SCRIPTVRI *verò aliquid ex* B. CLODVLFI *geſtis, & de tanto viro loquuturi, conſueto ordine iuſtæ narrationis, quis vel vnde fuerit primùm neceſſe eſt intimemus, proſapiáque ſic nobilis, ſic inclita* QVIA PRÆSENTIBVS LVCIDISSIME PATET, *futuris etiam aperta ſit, iuſtum eſt vt faciamus: Nam genealogiam paternam* B. ARNVLFVS *huius ſanctæ Metenſis ſedis Pontifex coruſcam mirabiliter facit, & decentiſſimam reddit, dum*

cius genitor prædicatur, & eſt; qui ex antiquo SENATORVM GENERE, patre ARNOALDO procreatus Franciam omnem, imò totam Galliam nobilitate, ac decentiſſima generoſitate ſuperauit, & in ſuperando ingenti gloria famoſam reddidit, & honeſtam. ARNOALDVS quem diximus, patrem habuit ANSPERTVM, qui ditatus non ſolùm rerum opulentia, verùm fratrum dignitate, & conſociali excellentia glorioſus effulſit. Sanctus nempe AIGVLFVS Metenſium Præſul magnificus, quem geſta Metenſium Pontificum EX FILIA CLODOVEI REGIS procreatum dicunt, qui Clodoueus prædicante S. Remigio Remenſium Pontifice, & ſe, & totam Franciam Chriſtianæ religioni primus ſubdidit, & in honorem debitum decus Eccleſiæ prout vmquam plus potuit, dilatauit, & exaltauit, DEOTARIVS Ariſidi Pontifex, & FIRMINVS Vceciæ itidem Pontifex, & GAMARDVS ſancti GOERICI Præſulis genitor, & REINFREDVS fratres huius ANSPERTI extiterunt: Mater verò Domni, & venerabilis CLODVLFI DODA nuncupata, non minori clara nobilitate refulſit, ſed hanc ipſam nobilitatem, morum pietate, & animi ſanctitate glorioſiſſimè illuſtrauit, ac decorauit; quæ cum viro pudiciſſimè prout fert mundus, viuens, non patiebatur bonorum operum exhibitione ſe imparem fore, & dum B. ARNVLFVS Pontificali cathedra ſublimatus eſt, ipſa etiam feruente in ea Spiritus ſancti igne, non ſolùm ſpirituali veſte, & velamine induta eſt, verùm etiam apud Treuerenſes incluſione vſque ad diem mortis ſe ſe retruſit, atque relegauit, &c.

Digitized by Google

GENEALOGIA Sancti ARNVLFI quam ex veteri codice communicauit Clariſſimus Vir Pater Vignerius Congregationis Oratorij apud S. Maglorium Pariſiis Præfectus.

ANSBERTVS *qui fuit ex genere Senatorum vir nobilis, & multis diuitiis pollens habuit fratres* DEOTARIVM, FIRMINVM, GAMARDVM, AIGVLFVM *Epiſcopum, &* RAGNIFRIDVM. *Deotarius conſtruxit vicum Ariſidium, vbi confeſſor Chriſti effectus requieſcit, Firminus Pontificatum tenuit in Vcecia ciuitate, vbi & ipſe confeſſor Chriſti requieſcit. Aigulfus Metis ciuitate Epiſcopus ordinatus eſt. Gamardus qui cognominatus eſt* BABO *genuit* GODINVM, & *Godinus genuit* GOERRICVM, *qui cognominatus eſt* ABBO, & RATBERTVM, & *filias tres* DODANEM, DODALINANEM, & SEGOLENAM. *Ragnifridus genuit* HVMMOLVM *Patricium, & Senatorem. Habuerunt autem, & ſorores duas* GODAM, & MARIAM, *quæ in virginitate perſeuerantes migrauerunt ad Dominum. Tempore verò bonæ memoriæ Domni* AIGVLFI *Epiſcopi* TEVDEBERTVS *Rex præfatum vicum Ariſidium per ſuum præceptum partibus B Stephani protomartyris Metenſis Eccleſiæ delegauit, & Domnus* ARNOALDVS *nepos ipſius, poſtea & iſdem Pontifex, accepit exinde confirmationem tempore Domni* LOTARII *Regis ad partes nihilominus B. Stephani: Similiter* DAGOBERTVS, SIGEBERTVS *quoque eundem vicum B. Stephano ſuâ præceptione confirmauerunt. Prædictus* Lege ſigebertus.

Digitized by Google

verò præſul AIGVLFVS *prius germanum ſuum Deotarium in eodem vico Ariſidio Epiſcopum conſtituit, & poſt Domnum Deotarium, nepos ipſius Domnus* MODERICVS *eſt ordinatus Epiſcopus per ordinationem Metenſis Epiſcopi.*

Vt verò ad ſuperiora redeamus, Anſbertus de quo prælibauimus vir Senatoriæ dignitatis, & ſpectandæ nobilitatis accepit filiam HLOTARII *Regis Francorum, nomine* BLITHILDEM, *genuitque ex ea filios tres, & vnam filiam. Primogenitus eius* ARNOALDVS, *ſecundus* FERREOLVS, *tertius* MODERICVS, *quarta puella* THARSITIA: *è quibus Ferreolus Epiſcopus in Vcecia ordinatus, ibique martyrio coronatus requieſcit in pace, vbi etiam multa per eum fiunt miracula; Modericus frater eius ſimiliter in Ariſidio conſtitutus Epiſcopus, ibique confeſſor Chriſti factus requieſcit in pace: Tharſitia virgo Chriſti in virginitate perſeuerans, Redonis requieſcit, quæ etiam fertur mortua mortuum ſuſcitaſſe. Porrò Arnoaldus genuit* B. ARNVLFVM *Epiſcopum: B. Arnulfus genuit* FLODVLFVM, WALTCHISVM, & ANCHISVM. *Flodulfus genuit* MARTINVM, *quem interfecit Ebroinus Ercriaco palatio: poſtea verò diuina fauente gratia electus Epiſcopus & ordinatus eſt; Waltchiſus quoque genuit* WANDREGISILVM *confeſſorem Chriſti.*

Anchiſus Dux genuit de BEGGA *ſorore S. Gertrudis* PIPINVM *ſeniorem, & Ducem: Pipinus ſenior & Dux genuit* CAROLVM *ſeniorem & Ducem: Idem Carolus ſenior & Dux genuit* PIPINVM, *quem Stephanus Romanus Pontifex conſecrauit, & vnxit in Regem, qui hodie fœliciter regnat in Gallia & Aquitania.*

Digitized by Google

Alia S. Arnulfi genealogia in veteri cod. Bibliothecæ S. Germani à Pratis, eiuſdem Præſulis vitæ ſubiuncta, num. 463.

COMMEMORATIO *genealogiæ Domni Arnulfi Epiſcopi, vt confeſſoris Chriſti: Anſpertus qui fuit ex genere ſenatorum præclarus vir atque nobilis in multis diuitiis pollens accepit filiam Lotharii Regis Francorum in coniugem nomine* BLITHIL, *& habuit ex ea filios tres, & filiam vnam. Primogenitus ipſius Arnoldus nominatus eſt, ſecundus Feriolus, tertius Modericus, & filia ipſius Tarſitia: Feriolus quidem Epiſcopus effectus in Vcecia ciuitate martyrio coronatus eſt, ibique requieſcit in pace: Modericus verò in Ariſido Epiſcopus eſt ordinatus, ibique confeſſor Chriſti requieſcit in pace, vbi Deus pro eius meritis multa miracula operatur. Tarſitia virgo Chriſti in virginitate ſua perſeuerans in Rodinis ciuitate requieſcit, pro cuius meritis ibidem Chriſti virtus quotidie oſtenditur, quæ etiam fertur mortua mortuum ſuſcitaſſe. Arnoldus primogenitus ipſius, genuit Domnum Arnulfum, Domnus Arnulfus genuit Flodulfum, & Anchiſum, Flodulfus diuina annuente gratia Epiſcopus ordinatus eſt, Anchiſus genuit Pipinum, Pipinus genuit Carolum, Carolus verò genuit Domnum Regem Pipinum, Domnus Pipinus genuit Cæſarem glorioſum, ac Principem nobiliſſimum* CAROLVM.

Digitized by Google

Hæc genealogia ad Ludouicum vſque Germaniæ Regem deinde perducta, vt conſtat ex ea quam Caniſius edidit Tom. v. antiquarum lectionum, & altera quam Bolandus ex veteri codice Treuirenſis Eccleſiæ Tarſitiæ vitæ adiecit, in quibus ſic legitur:

Leg 814. ANNO *Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti* DCCCXV. KAROLVS *omnium Auguſtorum optimus ad Aquiſgrani* V. *Kal. Febr. hora diei tertia de hoc ſæculo migrauit, qui regnauit annos* XLVII. *Deceſſit autem anno ætatis ſuæ* LXXII. *Et ſuſcepit Ludouicus filius eius eodem anno Imperium, qui regnauit* XXVI. *annos, id eſt vſque ad annum Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti* DCCCXL. *Deceſſit autem* XII. *Kal. Iul. in inſula Rheni iuxta palatium in Ingilinheim.*

Poſt quem Ludouicus filius eius, & æquiuocus eius in Orientali Francia ſuſcepit imperium, qui anno præſente id eſt Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCLXVII. XXVII. *annos regnare videtur.*

Eadem genealogia iiſdem ferè verbis legitur in veteri codice S. Symphoriani Metenſis, ad Lotharium Ludouici Germaniæ Regis fratrem natu maiorem perducta: quia verò circa finem quædam habet quæ in ſuperiori deſiderantur, hanc ideo hîc adteximus.

ANSBERTVS *qui fuit ex genere Senatorum præclarus, atque nobilis vir in multis diuitiis pollens,* *accepit*

Digitized by Google

accepit filiam Clotarii Regis Francorum ad coniugem nomine BLIOTHILDEM *ſiue* BLITHILDEM, *& habuit ex ea filios tres & vnam filiam. Primogenitus ipſius habuit nomen Arnoaldus, ſecundus Feriolus, tertius Modericus, & filia ipſius Tarſitia: Feriolus quidem Epiſcopus effectus eſt, in Vcecia Ciuitate martyrio coronatus, ibique requieſcit in pace. Modericus quidem in Ariſido Epiſcopus eſt ordinatus, ibique confeſſor Chriſti requieſcit in pace, vbi Deus pro eius meritis multa miracula operatur. Tarſitia virgo Chriſti in virginitate ſua perſeuerans in Rodanis ciuitate requieſcit, pro cuius meritis multa ibidem virtus Chriſti oſtenditur, quæ etiam fertur mortua mortuos ſuſcitaſſe. Arnoaldus primogenitus ipſius genuit Domnum Arnulfum: Domnus Arnulfus genuit Clodulfum, & Anſuſum, Flodulfus diuina gratia iubente Epiſcopus eſt ordinatus: Anſuſus genuit Pipinum, Pipinus genuit Karolum, Karolus verò Domnum Regem Pipinum, Domnus Pipinus genuit Domnum Regem Karolum Imperatorem: Karolus genuit Domnum Ludouicum Imperatorem: Ludouicus genuit Domnum* LOTHARIVM *Imperatorem. Ansbertus verò vnde priùs commemorationem fecimus, qui fuit ex genere Senatorum, habuit fratres Deotarium, Firminum, Gamardum, & Aigulfum Epiſcopum, & Raginfridum. Deotarius verò conſtruxit vicum Ariſidum vbi confeſſor Chriſti effectus requieſcit; Firminus autem Pontificatum tenuit in Vcetia Ciuitate, vbi confeſſor Chriſti requieſcit; Aigulfus verò in Mettis Ciuitate Epiſcopus ordinatus eſt: Goda verò, & Maria in virginitate perſeuerantes migrauerunt ad Dominum. Gamardus qui cognominatus eſt*

Digitized by Google

Babo genuit Godinum, & Gouerricum, qui cognominatus eſt Abbo, & Ratbertum, & filias duas Dodanem, & Dodalinanem: Godinus genuit filiam nomine Segolenam: Raginfridus genuit Nummolum Patritium & Senatorem.

Sequitur in eodem Codice.

ISTI *ſunt ex genere nobilium Senatorum: nati ſiquidem germani Ansbertus, Firminus, Aigulfus, Raginfridus, Gamardus, Deotarius, & ſorores eorum Goda & Maria. Ansbertus genuit Arnoaldum, & Feriolum & Modericum & Tarſitiam: Arnoaldus genuit Domnum Arnulfum: Gamardus qui cognominatus eſt Babo genuit Godinum, & Deſiderium, & Richertum, & filias duas Dodanem, & Dodalinanem: Godinus genuit Gouerricum qui cognominatus eſt Abbo, & Domnam Segolenam.* Id eſt Hectorem. *Rainfridus genuit Nummolum Patritium Ichtorem. Tempore bonæ memoriæ Domni Aigulfi Epiſcopi hic Domnus* Lege Sigebertus *Theudebertus Rex Francorum vicum Ariſidium per ſuum præceptum partibus B. Stephani protomartyris Metenſis Eccleſiæ delegauit, & Domnus Arnoaldus nepos ipſius Aigulfi, accepit exinde de ipſo vico Ariſido confirmationem tempore Domni Clotarii Regis Francorum partibus B. Stephani: Similiter Domnus Dagobertus Rex Francorum, & Sigebertus ipſum vicum ad prædictam Eccleſiam B. Stephani per eorum præceptionem confirmauerunt, & Domnus Aigulfus priùs germanum ſuum Deotarium Epiſcopum conſtituit in ipſo Ariſido, & poſt Domnum Deotarium nepos ipſius Domnus Modericus eſt ordinatus*

Digitized by Google

in ipſo Ariſido Epiſcopus per ordinationem Pontificis Metenſium vrbis.

Alia B. Arnulphi genealogia adiecta Vitæ Caroli Magni ab Eginharto ſcriptæ in veteri codice Bibliothecæ Thuanæ, num. 775.

PROSAPIA *Regum à B. Arnulpho vſque in hæc tempora geniti conſtant, vel quot tempora Regnum Francorum ampliauerunt, vel gubernauerunt, actáque illorum breuiter ſic annotata habentur.*

Buotgiſus illuſter vir genuit Arnulfum ſanctiſſimum virum Epiſcopum vrbis Metenſium.

B. quoque Arnulfus genuit Anſgiſum.

Anſgiſus genuit Pipinum Maiorem domus.

Pipinus genuit Karolum Ducem.

Carolus Dux genuit Pipinum Regem.

Pipinus Rex genuit Carolum Regem famoſiſſimum & primum Regem Francorum Jmperatorem. Carolus Jmperator genuit Hludouicum Jmperatorem, Hludouicus Imperator genuit Hlotarium Jmperatorem, qui nomen quidem Imperatoris obtinuit, ſed monarchiam Regni cum fratribus ſortitus eſt.

Explicit Vita Caroli Regis Magni atque Imperatoris.

Aliud B. Arnulfi ſtemma ex vetuſto codice Monaſterij ſancti Bertini, quod communicauit eruditus vir Franciſcus Ducheſnius.

INCIPIT *genealogia Nobiliſſimorum Francorum, Imperatorum, & Regum, dictata à* CAROLO REGE

Digitized by Google

Compendienſis loci reſtâuratore poſt bina incendia.

Anſbertus nobiliſsimus genuit Arnoldum ex Blithilde filia Clotarii Regis Francorum, & Ferreolum, & Modericum & Tarſitiam.

Arnoaldus genuit Arnulfum.

Arnulfus genuit Flodulfum, Walchisũ, & Anſchiſum.

Walchiſus genuit Vandregiſilum confeſſorem Domini.

Anchiſus Dux genuit Pipinum ſeniorem.

Pipinus ſenior & Dux genuit Carolum ſeniorem.

Carolus ſenior & Dux genuit Pipinum, Carlomannum, Griphonem, & Bernaldum ex Regina, Remigium & Hieronymum ex concubina, iſte Hieronymus fuit pater ſancti Folcuini.

Pipinus Rex genuit Carolum, & Carlomannum, & Giſlam ex Bertrada Regina.

Carolus Imperator genuit Carolum, Ludouicum, & Pipinum, Rotrudim & Bertam ex Hildegarde Regina, Drogonem, & Hugonem & Rotridem ex concubina; iſte Hugo, Abbas fuit S. Bertini, & S. Quintini Veromãduenſis.

Ex cod. S. Victoris Pariſienſis, cuius quidem character recens videtur, ſed exſcriptus eſt liber ex veteri exemplari S. Vandregiſili Rotomagenſis, iiſdémque ferè verbis contexta hæc genealogia, quibus ſuperior, quam communicauit R. P. Vignierius, ſed hoc ampliùs habet quòd perducta ſit vſque ad Ludouicum II. Germaniæ Regem.

COMMEMORATIO *genealogiæ Domni Arnulfi Epiſcopi, vnde Francorum Reges orti ſunt.*

Anſbertus qui fuit ex genere Senatorum vir nobilis, & multis diuitiis pollens accepit filiam Lotarii Regis Francorum nomine Blithil, & habuit ex ea tres filios, & vnam filiam. Primogenitus eius Arnoaldus, ſecundus Feriolus, tertius Modericus, quarta puella Tarſitia, è quibus Feriolus Epiſcopus in Vcecia ordinatus eſt, ibíque martyrio coronatus quieſcit in pace, vbi per eum multa fiunt miracula. Modericus frater eius ſimiliter Epiſcopus in Ariſido ordinatus eſt, atque ibi requieſcit in pace. Tarſitia virgo Dei in virginitate perſeuerans Redonis requieſcit, quæ etiam fertur mortua mortuum ſuſcitaſſe. Porro Arnoldus genuit Arnulfum Epiſcopum. Arnulfus genuit Flodulfum, Walchiſum, & Anchiſum fratrem eius. Walchiſus quoque genuit Vandregiſilum confeſſorem Domini. Flodulfus genuit Martinum quem interfecit Ebroinus in Erciaco palatio. Anchiſus Dux genuit Pipinum ſeniorem, & Ducem. Pipinus ſenior & Dux genuit Carolum ſeniorem & Ducem. Iterum Carolus ſenior & Dux genuit Pipinum, quem Stephanus Romanus Pontifex conſecrauit & vnxit in Regem. Pipinus Rex genuit Domnum Carolum glorioſum Cæſarem, quem Leo Romanus Pontifex conſecrauit & vnxit ad Imperatorem in Eccleſia B. Petri Apoſtoli die Natalis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Carolus Imperator genuit Ludouicum piiſsimum Auguſtum. Iterum Ludouicus piiſsimus Auguſtus genuit tres filios ex Hermengarda Regina, id eſt Lotharium, Pipinum, & Ludouicum: Ex Iudith verò Imperatrice genuit Carolum glorioſum Regem. Poſt mortem verò Ludouici piiſsimi Imperatoris Lotharius ante obitum patris decem & octo annis vnctus ad Impera-

Digitized by Google

torem, contra fratres ſuos, id eſt Ludouicum Regem Baioariorum, & Carolum exercitum duxit, adiuncto ſibi Pipino cum Aquitanorum populo in pago Autiſsiodorenſi in loco qui vocatur Fontanetum, in quo loco Franci cum omnibus nationibus ſibi ſubditis mutua ſe cæde proſternentes ad vltimum Ludouicus, & Carolus, Lothario fugato triumphum adepti ſunt: Poſt cruentiſsimum verò prælium pace inter eos facta diuiſerunt inter ſe Francorum Imperium, & Lotharius quidem accepit Regnum Romanorum, & totam Italiam, & partem Franciæ Orientalis, totámque Prouinciam: Ludouicus verò præter Noricum, id eſt Baioariam quam habebat, tenuit Regna quæ pater ſuus illi dederat; id eſt Alemanniam, Thuringiam, Auſtraſiam, Saxoniam, & Auarorum, id eſt Hunnorum, ſeu Hungarorum Regnum: Carolus verò medietatem Franciæ ab Occidente, & totam Neuſtriam, Britanniam, & maximam partem Burgundiæ, Gotiam, Vaſconiam, Aquitaniam ſubmoto inde Pipino filio Pipini, & in monaſterio S. Medardi attonſo, qui poſtea inde per fugam elapſus Aquitaniam regreſſus multo tempore fugiendo ibi latuit, iterúmque à Ramnulpho præfecto perfidè deceptus, comprehenſus eſt, & ad Carolum adductus, Siluanectum, perpetuo exilio eſt damnatus. Lotharius verò ex Hermengarda filia Hugonis tres filios habuit, id eſt Ludouicum cui Regnum Romanorum, & Italiam tradidit; alterũ autem Lotharium cui ſedem dimiſit: Deceßit quoque Lotharius anno Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCLV. *imperii, ſiue Regni ſui* XXXIII. *Poſt eius obitum Carolus eius filius qui Prouinciam gubernabat, octauo anno moritur; dehinc Ludo-*

uicus Imperator Romanorum, & Lotharius fratres Regnum eius inter ſe diſpertiuntur: Ludouicus autem Rex Noricorum, id eſt Baioariorum Ludouici Imperatoris filius anno Incarnationis DCCCLXVI. *poſt feſtiuitatem Paſchalem Regnum ſuum inter filios ſuos diuiſit, & Carlomanno quidem dedit Noricum, id eſt Baioariam, & Marcas contra Sclauos, & Longobardos: Ludouico verò Thuringiam Auſtraſios, Francos, & Saxoniam dimiſit, Carolo quoque Alemanniam & Curwalam, id eſt Comitatum Cornu Galliæ reliquit, ipſe tamen Ludouicus ſuper filios ſuos fœliciter* NVNC *Principatum tenet anno Incarnationis* DCCCLXIX.

Ex perantiquo codice S. Victoris Pariſ. litt. Q Q. num. 20.

Genealogia ſancti Arnulſi Epiſcopi.

Clodoueus ann. XXX.

Iſti fratres fuerunt.

Deotarius, Firminus, Gamardus, ANSBERTVS, Aigulfus, Raginfridus. Lotharius Sueſſionis.

DE BLITHILDE filia LOTHARII.

Childebertus Pariſiis.

Clodomirus Aureliæ.

Theodoricus Metis.

Godinus, Goër-ricus, Ratbertus. Ferreol. Ep. & Martyr. ARNOALDVS. Modericus Epiſc. Tarſitia Virgo.

Segolena.

ARNVLFVS.

Vualchiſus, ANCHISVS, Clodulfus.

Vandregiſilus. PIPINVS Senior & DVX ann. 27. Martinus Dux quem occidit Ebroinus.

CAROLVS MARTELLVS Senior & DVX annis 25.

Carlomannus Monachus, PIPINVS Rex. I. GRIFO.

CAROLVS, Carlomannus.

reliqui gradus ad Ludouicum Vltramarinum protenduntur.

Digitized by Google

Ex alio Codice eiuſdem Bibliothecæ S. Victoris Pariſienſis, notato littera B B B. num. 13.

Genealogia Regum Francorum.

EX genere Priami fuit Meroueus qui genuit Childericum :

Childericus genuit Chlodoueum :

Chlodoueus genuit Clhotarium :

Clhotarius genuit Chilpericum :

Chilpericus genuit Chlotarium :

Clhotarius genuit Dagobertum :

Dagobertus genuit Chlodoueum :

Chlodoueus genuit Theodoricum :

Theodoricus genuit Childebertum :

Childebertus genuit Dagobertum :

Dagobertus genuit Theodoricum :

Theodoricus genuit Clhotarium :

Et poſt tranſmigrationem generationis ex filia Clhotarii Regis.

Ansbertus genuit Arnoldum :

Arnoldus genuit Arnulfum ;

Arnulfus genuit Anchiſem :

Anchiſes genuit Pipinum ſeniorem qui regnauit annis XXVII.

Pipinus genuit Carolum Martellum qui regnauit annis XXVII.

Carolus genuit Pipinum qui regnauit annis XVII. *Carlomannus frater eius annis* X.

Pipinus genuit Carolum Magnũ qui regnauit annis XLVII.

Carolus

Carolus genuit Ludouicum qui regnauit annis XXVII.

Ludouicus genuit Carolum Caluum qui regnauit annis XXXIX.

Carolus genuit Ludouicum qui nihil fecit, qui regnauit annis VI.

Hludouicus genuit Carolum Simplicem, qui regnauit annis VII. *Carolus de Baioaria regnauit annis* IV. *Otto Rex annis* X. *Carolus poſt Ottonem annis* XXII.

Carolus genuit Hludouicum qui regnauit annis XVIII.

Hludouicus genuit Hlotharium de quo natus eſt Ludouicus, qui fuit huius proſapiæ regalis Rex vltimus.

Hludouico quoque defuncto Francorum Proceres ſuper ſe Regem eleuauerunt Hugonem, qui fuit filius Hugonis Magni Ducis.

Hugo verò Rex genuit Rotbertum Regem.

Robertus Rex genuit Hugonem, Hugone defuncto patre ſuperſtite eleuatus eſt Henricus frater eius pro eo, qui in regno confirmatus accepit neptem Imperatoris Henrici, ex qua filiam vnam procreauit, quæ poſt luſtrum defuncta eſt, ſubſequente matre, deinde per aliquot annos intercurrentibus nunciis duxit Annam filiam Rutenorum Regis, ex qua genuit tres filios, Philippum ſcilicet, Robertum & Hugonem; Philippum igitur præ ſe fecit vngere in Regem anno Dominicæ Incarnationis MLVIII. *ipſe verò ſequente anno obiit.*

Petrus Treuirenſis in vita ſancti Baſini Abbatis S. Maximini, & poſtea Treuirenſis Epiſcopi.

Communicauit R. P. Vignerius.

BASINVS *Belgicæ Galliæ Metropoleos, Treuericæ verò vrbis Archiepiſcopus glorioſus, ex ducibus* LOTHORINGIÆ, *quam olim Moſellanam ſenes vocauere, non tam nobiliſſimo, quàm fœliciſſimo ſcemate progenitus eſt. Sed antequam narrandi ſeriem ordiamur, operæpretium autumauimus propaginis originem, vel potiùs originis vocabulum prænotare. Ex ducibus autem Lothoringiæ oriundus perhibetur, patre verò Arnoaldo Duce Lothoringiæ, ac matre Oda filia Gozonis Ducis Sueuiæ.*

Adalbertus Andernacenſis in vita ſancti Luthwini Treuirenſis Epiſcopi.

Ex eodem R. P. Vignerio.

TEMPORE *Childeberti ſiue Hildeberti eo nomine ſecundi Regis Francorum & Auſtraſiorum, extitit quidam* PRIMAS *Senatoriæ dignitatis regiique generis, Geruuino patre filio Dagoberti Regis Francorum, & matre Gonza filia Arnoaldi Ducis* LOTHREIANÆ, *nobiliſſimis ortus primogenitoribus; Qui in regenerationis fonte vocabulum ſumpſit Lutuuinus, qui iam adultus magno amoris priuilegio amplectebatur auunculum ſuum Baſinum Treuerenſem Archiepiſcopum, ac matris ſuæ Gonzæ fratrem: ſed antequam narrandi ſeriem incipiamus, quia Domini Geruuini geneſis nota eſt omnibus, iuſtum duximus genealogiam Dominæ Gonzæ & originem vocabuli* LOTHREICH *narrare. Hæc ex Ducibus Lothreianæ progenita fuit, patre Arnoaldo ac matre Oda, filia Gozonis*

Digitized by Google

Ducis Sueuiæ. Hic Arnoaldus patrem habuit Anſbertum Ducem Lothreianæ, ac matrem Blitildem filiam Clotarii Regis Francorum, &c.

Ego Adalbertus indignus Abbas Mediani Monaſterii. Quæ de Geneſi ſancti Patris Lutvuini ſcripſi, ab ipſo ſancto patre accepi, non modò verbis ſed & ſcriptis.

Reſcriptum Canonicorum Amanienſium de Beata Oda, & patre ſancti Arnulphi, ex Archiuio S. Arnulfi Metenſis.

PRÆPOSITVS & *totum capitulum Eccleſiæ Collegiatæ Beatæ Odæ viduæ Amanienſis Leodienſis Diœceſis humiles veſtri amici, Venerabilibus & Religioſis Dominis Abbati & Conuentui Monaſterii ſancti Arnulphi Confeſſoris ſituati propè ciuitatem Metenſem, debitam reuerentiam & honorem, ſalutem in Domino ſempiternam. Vobis & veſtræ benignæ gratiæ notum facere cupimus veſtram literam per Religioſum & circumſpectum Dominum Simonem de Chariſey Abbatem veſtri prætacti Monaſterii nobis ex parte veſtri miſſam, ſigillóque præfati veſtri Abbatis ſigillatam & roboratam, vt prima facie apparebat per illos duos homines vobis ex parte noſtri tranſmiſſos benigniſsimè nuper recepiſſe, quóſque homines benignè & laudabiliter amore ſanctiſsimæ noſtræ iam dictæ patronæ, & noſtri recepiſtis in veſtro Monaſterio prout nobis dixerunt, pro quibus gratiarum actiones vobis per præſentes referimus, vt ſi qua poſſumus in partibus Leodienſibus facere quæ veſtris placeant voluntatibus, nobis veſtris bonis declaretis, paratis cum omni diligentia exponere noſtrum*

Digitized by Google

poſſe ad omnia, quæ veſtrum reſpicient commodum, ac honorem propter Sanctiſſimum Arnulphum veſtrum benignum patronum, filiúmque Beatæ Odæ viduæ ſuæ matris noſtræ fundatricis & Patronæ, omniáque contenta in veſtra prætacta litera nobis ex parte veſtri miſſa optimè intelleximus, unde vobis reſcribimus, quòd nos ſecundùm quod cupitis mittimus vobis totam hiſtoriam ac legendam, cantum, & Officium miſſæ, horarúmque B. Odæ viduæ noſtræ fundatricis & Patronæ, prout reperietis in volumine latori præſentium tradito in pergameno ſcripto ſecundùm quantitatem voluminis nobis per vos ſcripti prout veſtra litera aperiebat: qui lator nobis promiſit tradere vobis præfatam hiſtoriam cum præſenti litera. Inſuper vobis humiliter ſupplicamus quatenus nobis per latorem præſentium remittere dignemini hiſtoriam, legendam, cantum, Officiúmque miſſæ & horarum feſti Beati Arnulphi Confeſſoris veſtri patroni B. Odæ viduæ filii, & hiſtoriam tranſlationis eiuſdem ſancti Arnulphi, nec non Chronicam Beati Arnulphi, quam Chronicam per præſentes vobis promittimus eam remittendam poſtquàm conſpexerimus, per latorem vel per alium virum fidelem. Item ſcire dignemini, venerabiles Religioſi, quòd nos ſolemniter celebramus annuatim tria feſta in noſtra Eccleſia Collegiata Amanienſi in honorem B. Odæ viduæ noſtræ Patronæ, videlicet feſtum ſui obitus quando ipſa migrauit ab hoc ſæculo 23. die menſis Octobris. Item celebramus ſecundum feſtum, ſcilicet feſtum tranſlationis B. Odæ nona die menſis Iulii. Item celebramus tertium feſtum, ſcilicet feſtum Exaltationis B. Odæ ſemper Dominica die poſt feſtum ſancti Matthæi Apoſtoli

& Euangeliſtæ in menſe Septembri, & tunc ſit ſolemnis proceſsio circa villam Amanienſem deferendo vnum pulcherrimum feretrum argenteum in parte deauratum, in quo feretro oſſa benigni corporis B. Odæ ſunt collocata: de quibus tribus feſtis primum feſtum prætactum, ſcilicet feſtum ſui obitus eſt maius, quia illud celebratur per omnes Eccleſias totius Epiſcopatus & Dioceſis Leodienſis cum nouem lectionibus in matutinis ſecundùm ordinarium Leod. & nos celebramus etiam de ſancto Arnulpho veſtro Patrono in noſtra Eccleſia Amanienſi 16. menſis Auguſti, feſtum cum nouem lectionibus ſecundùm ordinarium Leodienſ. ſcilicet de vno Confeſſore propter defectum propriæ hiſtoriæ. Addimus etiam venerabiles Domini, quòd pater ſancti Arnulphi Patroni veſtri vocabatur BOGGVS, ſeu ARNOALDVS, qui fuit Dux in Aquitania, prout inuenietis in legenda B. Odæ vobis per nos tranſmiſſa. Etiam ſi continget aliquos ex veſtris venire viſitatum Eccleſiam noſtram Amanienſem temporibus futuris, vos inuenietis eſſe ſitam ſubtus oppidum Hoyens, & ciuitatem Leodienſem; & habet Eccleſia noſtra Amanienſis duo Cāpanaria, in qua Eccleſia B. Oda quieſcit, & eſt Collegium Canonicorum, & ſumus de conſortio ac fraternitate prædictarum Eccleſiarum Leodienſ. Item reperitur in Chronicis quòd B. Oda noſtra Patrona fundauit villam & Eccleſiam Amanienſem in honorem B. Georgii, & dotauit noſtram Eccleſiam de multis bonis, quæ poſsidemus, tam in decimis, quàm in denariis hæreditariis, & adhuc fundauit quatuor Eccleſias Parrochiales in Epiſcopatu Leodienſi, omnéſque in honorem ſancti Georgii ſuis ſumptibus, & inſtituit in noſtra Eccleſia Amianenſi octo Canonicos,

& quando deceſsit omnes alias ſuas poſſeſsiones, prædia & allodia, quæ poſsidebat in patria Leodienſi, legauit ſancto Huberto Confeſſori ab illo tempore Epiſcopo Leodienſi ſuo conſanguineo ad opus ſuarum Eccleſiarum, quas ipſe ſanctus Hubertus fundabat tunc tam in ciuitate Leodienſi, quàm in Ardenna, quia præfatus ſanctus Hubertus erat filius ſororis B. Odæ, & pater ſancti Huberti fuit filius Boggi ſupradicti ex ſua prima coniuge, quia Boggus habuit duas vxores, in prima genuit quemdam Bertrandum, & ille Bertrandus ex ſua coniuge vocata Phigberta genuit ſanctum Hubertum, quæ Phigberta fuit ſoror legitima B. Odæ viduæ. Poſt mortem ſuæ primæ vxoris idem Boggus deſponſauit Beatam Odam, in qua genuit Beatum Arnulphum veſtrum Patronum, & Beata Oda fuit amita ſancti Huberti, & ſanctus Arnulfus filius Beatæ Odæ fuit auunculus ſancti Huberti ex parte Boggi patris ſui, quia Bertrandus, & ſanctus Arnulphus fuerunt fratres, non de vna matre, ſed de duabus matribus, & de vno patre ſcilicet Boggo. Item ſanctus Arnulphus deſponſauit ſibi vnam nobilem dominam in qua genuit Angiſum Ducem, qui Angiſus habuit in vxorem Beatam Beggam ex Andana ſororem ſanctæ Gertrudis virginis, in qua Begga genuit Pipinum, prout omnia iſta reperimus in Chronicis Leodienſibus, etiam aliquid & multa reperietis in Legenda Beatæ Odæ de progenie, ortu, vita & ſanctitate eius. Precamur altiſſimum qui vos in ſancta religione conſeruare dignetur per tempora longiora: in quorum omnium præmiſſorum teſtimonium ſigillum noſtræ prætactæ Eccleſiæ Amanienſis ad cauſas, præſentibus literis duximus apponendum. Datum

Digitized by Google

anno natiuitatis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto, menſis Julii die quarta.

Duo hæc inſtrumenta ex manuſcriptis Regalis Monaſterii ſancti Arnulphi Metenſis, at primum quidem ex antiquioribus tranſumpta eſſe teſtantur infraſcripti. Actum Metis in ipſo ſancti Arnulſi Monaſterio, die 10. *Iunii ann. Domini* 1647.

FR. ARSINIVS, Prior ſancti Arnulphi.	GABRIEL BIGOT, Prieur de S. Vincent de Metz.
D. BONAVENTVRA Prior S. Clementij.	D. PETRVS DESCROCHETS, Relig. S. Arnulphi.

Index Epiſcoporum Metenſium, eo quem Pithœus edidit auctior, ac correctior: Ex ſuprà citato codice S. Symphoriani Metenſis.

Nomina Pontificum METENSIS SEDIS, *& ordo*
Hæc obitus ſeriem pagina ſcripta tenet.

I. CLEMENS *Epiſcopus ſedit annos* XXV. *menſibus* IV. *obiit* IX. *Kal. Decembris.*

II. CÆLESTIS *Epiſcopus ſedit annos* XV. *ob. pridie id. Octob.*

III. FOELIX *Epiſc. ſedit ann.* XLII. *& menſes* VI. *ob.* IX. *Kal. Martii.*

IV. PATIENS *Epiſc. ſedit ann.* XIV. *obiit* V. *Id. Januar.*

v. VICTOR *Epiſc. ſedit ann.* IX. *&* *menſ.* II. *ob.* X. *Kal. Octob.*

vi. *Item* VICTOR *Epiſc. ſedit ann.* III. *&* *menſ.* II. *ob.* IX. *Kal. Octob.*

vii. SIMEON *Epiſc. ſedit ann.* XXX. *ob.* XIV. *Kal. Martii.*

viii. SAMBATIVS *Epiſc. ſedit ann.* XVIII. *ob.* XVIII. *Kal. Octob.*

ix. RVFVS *Epiſc. ſedit ann.* XXVIII. *obiit* VII. *Id. Nouemb.*

x. ADELFVS *Epiſc. ſedit ann.* XVII. *ob.* IV. *Kal. Octob.*

xi. FIRMINVS *Epiſc. ſedit ann.* XLV. *ob.* XV. *Kal. Septemb.*

xii. LEGONTIVS *Epiſc. ſedit ann.* XXXIV. *&* *menſ.* VI. *ob.* XII. *Kal. Martii.*

xiii. AVCTOR *Epiſcop. ſedit ann.* XIX. *ob.* IV. *Id. Auguſt.*

xiv. ÆPLETIVS *Epiſc. ſedit ann.* XVI. *ob.* III. *Kal. Auguſt.*

xv. VRBICIVS *primus* ARCHIEPISCOPVS *ſedit ann.* XXIX. *ob.* XIII. *Kal. April.*

xvi. BONOLVS *Epiſc. ſedit ann.* III. *&* *menſ.* VI. *ob.* VII. *Id. Octob.*

xvii. TERENTIVS *Epiſc. ſedit ann.* XX. *ob.* IV. *Kal. Nouemb.*

xviii. CONSOLINVS *Epiſc. ſedit ann.* XIX. *ob. pridie Kal. Auguſt.*

xix. ROMANVS *Epiſc. ſedit ann.* XXXVI. *ob. Id. April.*

Digitized by Google

XX. FRONIMIVS *Epiſc. ſedit ann.* VIII. *ob.* VI. *Kal. Aug.*

XXI. GRAMMATIVS *Epiſc. ſedit ann.* XV. *ob.* VII. *Kal. Maii.*

XXII. AGATIMBER *Epiſc. ſedit ann.* XII. *& menſ.* VI. *ob.* IV. *Idus Maii.*

XXIII. SPERVS *Epiſc. ſedit ann.* XVII. *ob.* X. *Kalend. Septemb.*

XXIV. VILLICVS *Epiſc. ſedit ann.* XXV. *& menſ.* II. *obiit* XV. *Kal. Maii.*

XXV. PETRVS *Epiſc. ſedit ann.* X. *obiit* V. *Kalend. Octob.*

XXVI. AIGVLFVS *Epiſc. ſedit ann.* XX. *ob.* X. *Kal. Decemb.*

XXVII. ARNOALDVS *Epiſc. ſedit ann.* VIII. *& menſ.* I. *ob.*

XXVIII. PAPPOLVS *Epiſcop. ſedit ann.* XXVII. *& dies* XXX. *ob.* XI. *Kal. Decemb.*

XXIX. ARNVLFVS *Epiſc. ſedit ann.* XV. *& dies* X. *ob.* XVII. *Kal. Septemb.*

XXX. GOERICVS *Epiſc. ſiue* ABBO *ſedit ann.* XVIII. *ob.* XIII. *Kal. Octob.*

XXXI. GODO *Epiſc. ſedit ann.* X. *& menſ.* II. *ob.* VIII. *Id. Maii.*

XXXII. CHLODVLFVS *Epiſc. ſedit ann.* XL. *& dies* XX. *ob.* VIII. *Id. Maii.*

XXXIII. ABBO *Epiſc. ſedit ann.* X. *& menſ.* I. *& dies* XXVI. *ob.* XVII. *Kal. Maii.*

XXXIV. APTATVS *Epiſc. ſedit ann.* VII. *& menſ.* II. *ob.* XII. *Kal. Februar.*

XXXV. FELIX *Epiſc. ſedit menſ.* IX. *ob.* XI. *Kal. Ianu.*

XXXVI. SIGIBALDVS *Epiſc. ſedit ann.* XXV. *ob.* VII. *Kal. Nouemb.*

XXXVII. CHRODEGANGVS ARCHIEPISCOPVS, *qui ſedit ann.* XXIII. *& menſ.* V. *dies* V. *Requieſcit in Gorzia Monaſterio, quod ipſe à fundamentis conſtruxit; Obiit prid. Non. Mart. & ceſſauit Epiſcopatus annos* II. *& menſ.* VI. *& dies* XIX.

XXXVIII. ANGELRAMNVS ARCHIEP. *& Palatii Capellanus, qui ſedit annos* XXIII. *& dies* XXVIII. *requieſcit in Monaſterio cui vocabulum Noua cella. ob.* VII. *Kal. Nou. in loco qui dicitur* ASNAGAHVNC CHVNISBERCH, *& ceſſauit Epiſcopatus ann.* XXVII. *& menſ.* III.

XXXIX. GVNDVLFVS *Epiſc. ſedit ann.* VI. *& menſ.* VIII. *& dies* VII. *Requieſcit in Gorzia Monaſterio. ob.* VII. *Id. Septemb.*

XL. *Domnus* DROGO ARCH. *& ſacri Palatii ſummus Capellanus, filius* CAROLI *Imperat. ſedit ann.* XXXII. *menſ.* V. *& dies* VII. *obiitque* VI. *Id. Decemb. in Burgundia prædio S. Petri Mimeriaco dicto, indéque corpus eius delatum ad vrbem Mediomatricorum, & humatum eſt in Eccleſia B. Ioannis Apoſtoli, Idus Decemb.*

XLI. ADVENTIVS *Epiſc. ſedit ann.* XVII. *& dies* XXIV. *obiitque prid. Kal. Septemb.*

XLII. WALO *Epiſc. ſedit. anno* VI. *& dies* V. *obiitque* IV. *Id. April.*

XLIII. ROTBERTVS ARCH. *ſedit ann.* XXXIII. *menſ.*

Digitized by Google

VII. & dies XII. obiitque Mettis IV. Non. Ian.

XLIV. WIGERICVS Epiſc. ſedit ann. X. & dies XXX. obiitque Mettis Kal. Mart.

XLV. ADALBERO opinatiſſimæ ſanctitatis vir, ſanctæque religionis indefeſſus vbique reformator, ſedit annos XXXV. menſ. IX. dies XXV. ob. VI. Kal. Maii.

Ex Veteri codice Collegij Fuxenſis Toloſæ.

Incipit Vita Beati FERREOLI *Epiſcopi & Confeſſoris* II. *Nonas Ianuarii.*

FERREOLVS *vir Domini confeſſórque beatiſſimus poſt tranſitum S. Firmini Pontificatum tenuit annis* XX. & VIII. *confluebátque ad eum populi multitudo prædicationem eius audire cupientes, & multum ædificati diſcedebant gratias agentes Domino, qui eis talem paſtorem dediſſet, qui eos de multis erroribus liberauit. Tantam enim ei Dominus gratiam prædicationis contulerat, vt nullus eſſet, qui non illum ex affectu diligeret, & hunc eſſe Domini famulum acclamaret, &c. Laicorum cura ita illi erat, vt ſi aliquos inter eos ſtudioſos in lege Domini reperiſſet, nimia admiratione diligeret, & ſuis eos amicitiis copularet.* IVDÆORVM *verò ita cura illi erat, vt comedens & bibens cum eis, monitis dulcibus amaritudinem in eorum mixtam moribus obdulcaret, & ad fidem Chriſti plurimos conuertens baptiſmi gratiam conſequerentur, &c. Vnde & accuſatus apud* VLDEBERTVM *Regem Francorum, eo quòd cum Iudæis & Sarracenis comederet, & biberet, & munera eis*

donaret. Tunc timens præfatus Rex ne aliquam fraudem circa ipſum moliretur, PARISIVS *eum ciuitatem in Francia, in exilium mitti præcepit, ibique per tres annos in exilium fuit, &c. Quadam verò die,* VI. *feria hora diei tertia dum coram Rege præfato poſitus adſtaret, cognouit Spiritu ſancto ſibi reuelante, quòd Eccleſiæ, quam conſtruxerat* VCECIA *poſitus in honore Apoſtoli Pauli (miro opere per tres quidem annos in ipſius conſtructione fabricæ occupatus fuit, tertio anno Domino fauente perfecit) arcus eiuſdem Eccleſiæ cecidiſſet; Vnde & mæſtus factus eſt, & contriſtatus eſt. Propter hanc reuelationem vidit eum Rex triſtem, & inquirere cœpit quid hæreret, aut cur triſtis ſtaret, cui B.* FERREOLVS *dixit: Eccleſia quam conſtruxi* VCECIÆ *in honorem B. Pauli Apoſtoli, vbi corpus meum humare rogaueram, modò eiuſdem arcus Eccleſiæ cecidit: quo audito Rex obſtupefactus ſimúlque admiratus accerſito notario diem, tempus, horámque notari præcepit, atque ſub omni celeritate Vcetiam mittens diligenter inquiri poſcit, qui ipſo die, & eodem tempore, horáque reperit Vceciæ arcum Eccleſiæ cecidiſſe, quod vir Domini B. Ferreolus Epiſcopus Pariſius poſitus per Spiritum ſanctum ſe cognouiſſe teſtatus eſt. Túnc præfatus Rex vt cognouit quòd vir Dei eſſet, orationibus eius ſe commendans, rogauit vt pro ſe ſuiſque Domino preces fundere dignaretur, atque eum multis muneribus ditans, cum magno honore & multis opibus remiſit eum ad ſedem ſuam, &c. Cùm de exilio regreſſus introiret Vceciam ciuitatem ſummo fauore plaudebant omnes pariter, quòd Eccleſia recepiſſet Pontificem, grex paſtorem, ac ſi omnes cum ipſo tunc rediiſſent ad patriam, ita ſine illo*

Digitized by Google

exules fuiſſent. Congregatâ itaque SYNODO S. THEODORICI, *multiſque Sacerdotibus & Diaconibus adunatis, & omni clero, omnes Judæos, qui in territorio ipſius ciuitatis erant adunari præcepit, qui venientes in ſupradictam Eccleſiam cœpit eos docere, & prædicare, vt relicto errore perfidiæ Chriſto Domino crederent, & ſe baptiſmi gratia purificarent. Aliqui verò ex illis Judæis credentes baptiſmi gratia ſunt renati, qui verò increduli permanſerunt, omnes vt diſcederent præcepit, nec paſſus eſt in eadem ciuitate, vel intra murum ipſius ciuitatis, ex ipſis Iudæis habitare, niſi qui ſe Chriſto credere profitebantur, ſed omnes eiecit, atque ex ſua Diœceſi expulit, nec poſtea in ipſa ciuitate vllus Iudæus habitare permiſſus eſt, &c.*

Series Regum Francorum ſcripta poſt Hiſtoriam Eccleſiaſticam Anaſtaſij Bibliothecarij in veteri codice Bibliothecæ Thuanæ.

CLODOVEVS *primus Chriſtianus è Regibus Francorum fuit; Hic fuit temporibus Iuſtini ſenioris Romani Imperatoris, qui Monaſterium S. Sophiæ Conſtantinopoli conſtruxit, Ormiſda Papa eo tempore fuit. Clodoueus genuit* CLOTARIVM, *huius tempore fuit Benedictus Abbas. Clotarius genuit* CHILPERICVM, GVNTRAMNVM *quoque, qui Chilpericus anno ab incarnat. Domini* DLXVIII. *regnare cœpit; quo tempore Iuſtinianus Romanum regebat Imperium, cui Mauricius Imperator ſucceſſit, quo tempore Gregorius Papa, Gregorius quoque Turonenſis fulgebant. Hic Chilpericus genuit* CLOTARIVM *Magnum patrem* DAGOBERTI. *Dagobertus genuit* CLODOVECVM. *Clo-*

douecus genuit CLOTARIVM. *Poſt hunc frater eius* THEODORICVS *ſucceſſit; Poſt hunc* CHILDERICVS *frater eius. Poſt Childericum regnauit* PIPINVS SENIOR. *Pipinus ſenior genuit* KAROLVM I.

Karolus I. genuit Pipinum.

Pipinus genuit KAROLVM *Magnum.*

Karolus Magnus genuit LVDOVICVM *Pium.*

Ludouicus genuit KAROLVM *Caluum.*

Carolus Caluus genuit LVDOVICVM *nichil fecit.*

Ludouicus genuit KAROLVM *ſtultum.*

Karolus ſtultus genuit LVDOVICVM.

Ludouicus genuit LOTHARIVM.

Lotharius genuit LVDOVICVM, *qui* BLANDINAM *accepit vxorem:*

Huic ſucceſſit HVGO EX ALTA FAMILIA *filius* MAGNI HVGONIS:

Poſt Hugonem ROTBERTVS, *ex quo proceſſit* AINRICVS *filius eius: Ainricus genuit* PHILIPPVM, *in præſenti quoque tempore regnat* LVDOVICVS *filius eius.*

Digitized by Google

AD GVILLELMVM BLESENSIVM COMITEM:

GOSBERTVS COMITI GVILLELMO CARMINE LVSIT.

TE VIRTVTE CRVCIS SOTER GVILLELME CORONET
Eximium, qui ſtemma dE dit tibi, ſeminis atquE
Vernantis ſpeciem vVltus peramabile viſV
Ingenium ſtat mo ſol I dum moderaminis æquI
Rectoris dynamin foRmæ ſpectabile robuR
Tot donis Præſes, paTrum tibi Gratia luceT
Vt nequam Reticere tVos tent qVare ſub actV
Troiuge nAe primite Te qui princIpe plaudunT
EccleſiæquE patres, haE e qui teIL us tria iurE
Corde pio Calcant doCti prædul cibus iſtiC
Rebus fidEndum flagRis quotiEs feriuntuR
Viuum ſane Lucrum ducVnt plus fLere precatV
Compungi Sanctis laCrimis, quaM luſibus illiC
In luctu mOrtis ſtygIæ zabulO adnumerarI
Sic ſic ſimplicibus, Sic te prudentibus addiS
Sunt & apud monachoS ſanctæ tibi munia laudiS
Omnis vt in commune bOet tibi turba canendO
TE VIRTVTE CRVCIS SOTER GVILLELME CORONET
Eia tui cordis princEps tibi viſcera pandE
Regnorum quod opes ceRte ſuperare probatuR
Gloria mentis enim goG amans librat quoque magoG
Vt docet egregius PaVlus præſtabile dictV
Immo pius Ihſous domInus hinc Gaudia quærI
Luce ſpleNdidius ſoLito hoc mOnet omnipotẽs ſoL
Lætitiæ Fructus, ceLſæque gaZæ vnice præſuL
Eſt quia vIta manens Eſt ſumma Beatio vitaE
Lux in quaM tibi præLucens haEc o bone conſuL
Mortigen Vm virus tuMidũ ſempeR que ducilleM
Effugit aSsiſt atquE tuis virTutibus altE
Cum vero complens ſæClum migraueris iſtinC
Optime compoſitum dOxa conſcribat in albO
Rex cuius vexilla geRis certando valenteR
Officiis operum modO clarificatus ab ipſO
Nunc populus vitæ nuNc nunc venerabile nomeN
Ex animo adgaudens mE cum ſic concine clarE
TE VIRTVTE CRVCIS SOTER GVILLELME CORONET.

Communicauit Cl. vir Philippus Labæus P. Societatis Ieſu.

*FRANCIGENVM PRIMO PROAVIS ABAVISQVE PERALTO
GVILLELMO DINAMI, SOPHIA, SCEMATE COMPTO
GOSBERTVS TAPINOS, MICROS, APODEMVS, ET EXVL.*

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

Digitized by Google

INDEX

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

RERVM ET VERBORVM.

A

ABBAS Monaſticus, & Sophiſticus quomodo differat à laïco, pag. 208. *& ſeq.*
Acta Sanctorum in Eccleſiis recitari ſolita, 23
Adalelmus Odonis Auunculus, alius ab Adalelmo Ademari Pictauienſis fratre, 200. *& ſeqq.*
Adelais Dagoberti I. filia, 102
Adelais Roberti Fortis vxor, Ludouici Pij filia, 222. *& ſeq.*
Adelaïda Roberti Fortis vxor malè Emenonis Comitis Engoliſmenſis filia exiſtimatur, 198. *& ſeq.*
Adelais Hugonis Capeti vxor Aquitanica fuit, non ex Auſoniæ partibus, 237. *& ſeq.*
Affinitatis nulli ſunt gradus, genus tamen conſtituunt, 119
Aigulfus Metenſis Epiſcopus natus ex filia Clodouei, 26. Fratrem Deotharium Epiſcopum conſecrauit, 51
Aigulfi Pontificatus Epocha reſtituta, 56. *& ſeq.*
Aldana mater Willelmi Ducis Septimaniæ, 230
Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, vnde dicatur Martini Turonenſis funeri interfuiſſe, 13
Anchiſes Arnulfi filius Martyr vocatus, 125
Anſbertus Fontanellæ Abbas, idem ac Præſul Rothomagenſis, 80
Anſberti Senatoris antiqui auctores qui meminerint, 82. *& ſeq.* Eius genus vindicatum, *ibidem.*
Antonius in caſtro Fuſala à B. Auguſtino Epiſcopus conſtitutus, 53
in Aquitania plures Senatoriæ familiæ, 95
Aquitani Romani dicti, 95
Aquitaniæ plerique populi Auſtraſiæ regno ſubmiſſi, 54
Arbogaſtes Arigij Comitis Treuerorum filius Latinæ linguæ peritiſſimus, 26
Arelatenſis Epiſcopus Romani Pontificis Vicarius, 124
Arnoaldus Metenſis Epiſcopus ſedit annis XXVII. 58
Arnoaldus Dux varias vxores habuit, 139
Arnulfi Metenſis maiores cur ab auctoribus non laudati,

Ii

149. Regibus primæ ſtirpis cognatus, 152. & ſeq.
Arnulfus Comes Remorum, 115
Arriani, Gentiles dicti, 21
Attalus Gregorij Lingonici nepos ex genere Senatorio, 19
Auitus Imperator Ciuis Aruernus, 19
Auſtrapius Epiſcopus in pago Pictonico, 127

B

BALTETRVDIS Clotarij I. coniux, 100
Bathildis idem eſt ac lucro dedita, 30
Berengarius Rex Italiæ Roberti Regis propinquus, 223. & ſeq.
Berta vxor Edilberti Anglorum Regis, 33
Berta candidam ſignificat, 30
Pipini Italiæ Regis vxor filia S. Willelmi, 256
Binomij plerumque veteres Franci, 72. & 137
Blithildis Clotarij I. filia, 104. & ſeq.
Blithildis, lætam indolem ſonat, 30
Bonita nomen receptum in Alemannia Curienſi, 30
Borgis Dux Aquitaniæ, 138
Britanniæ inferioris Epiſcopi antiquis Galliæ Conciliis cur non interfuerint, 131. & ſeq.

C

CAROLVS M. de Antiquis Regibus carmen compoſuit, 94
Carolus Caluus Maiorum ſuorum ſtemma pertexuit, 84. verſibus Heroïcis deſcribi curauit, 85
Caſtellionum Caſtrum in pago Bituricenſi ab Hugone Magno S. Martino Turonenſi conceſſum, 181
Cęſarius Epiſcopus Arelatẽſis, 17
Ciuitatum Galliarum antiqua nomina quando immutata, 172. & ſeq.
Ciuitatibus quandoque à fluminibus nomina indita, 177
Charibertus linguæ Latinæ ſtudioſiſſimus, 29
Childebertus Epiſcopum Meloduni inſtituit, 51
Chorepiſcopis locus aſſignatus, 127
Chrodoaldus Theodeberti amitæ maritus, 115
Clodomires Clotarij filius, 101
Clodoueus Rex Patritius, 30
Cognomina quando apud Francos inducta, 227
Cognationum mentio frequẽs in antiquis Eccleſiarum monumentis, 168
Conſtantius Vceecienſis Epiſcopus primas ab Hilario Papa vocatus, 69
Conſulis & Patritij promiſcua nomina, 30
Conſulum Romanorum nomina in ſubſcriptionibus antiquorum Galliæ conciliorum expreſſa, 29
Cunegundis idem eſt ac opportuna, 30

D

DEOTARIVS Ariſidi vici apud Ruthenos repara-

Digitized by Google

tor, 41. Ibidem inſtituitur Epiſcopus, 48. Eius ſedis epocha reſtituta, 15. *& ſeq.*
Deuterius Vincienſis Epiſcopus ſubſcripſit Concilio Aurelian. IV. & V. 64
Diuionenſis Chronici germana lectio vindicata, 193. *& ſeq.*
Diuodurum antiquum Mediomatricorum ciuitatis nomen, 173. *& ſeq.*
Dolenſis Epiſcopus præuia cruce incedebat, 69
Drogo quando Metenſis Epiſcopus conſecratus, 210
Duces in Auſtria, 153. *& ſeq.*
Duodena vxor Bernardi Septimaniæ Ducis, 230

E

ECCLESIASTICA diſciplina Prouinciarum normam ſequuta, 123
Eccleſia Romana patrimonium habuit in Galliis, 54
Emmo Ariſitenſis Epiſcopus, 129. *& ſeq.*
Enymia filia Clotarij II. 102
Eparchius ex genere Senatorio, 18
Epiſcopi præter ætatem legitimam conſecrati, 66. *& ſeq.*
Ermengardæ Lotharij I. vxoris illuſtre genus, 219. *& ſeq.*
Erchenoaldi genus, 219
Epiſcopi ſine Metropolitæ conſenſu quandoque conſecrati, 48
Epiſcopi ex præcepto regis conſecrati, 53
Euarix Arelatem obſedit, 6
Eutropius Senatorius homo, 18

F

FAMILIA ſub gente continetur, 160
Familiæ propria ſignificatio, 161
Ferreolorum genus illuſtre, 3. 4. Tres eiuſdem nominis apud Sidonium, 15. *& ſeq.*
Ferreolus Firmini Vcecienſis Epiſcopi pater, 20
Ferreolus Vcecienſis quanto tempore ſederit, 109
Ferreolus Vcecienſis cur Martyr dictus, 125
Feſtiuitates Sanctorum olim in Eccleſia denunciabantur, 23. Quæ à populis colendæ, 24
Filij Preſbyterorum olim in beneficiis patribus ſuccedebant, 121
Filij aut fratres, qua ratione à parentibus monaſteriis oblati.
Firminus Epiſcopus Vcecienſis Ferreoli filius, 63. Subſcripſit Concilio Aurelian. IV. & V. 64. Miraculis clarus, 65. De ipſo intelligendus Arator, non de Firmino Metenſi Epiſcopo, 66
Firmini Vcecienſis obitus, 113.
Fœminæ illuſtres Patritiæ dictæ, 9
Franci Barbari dicti, 35
Francis cum Romanis licita connubia, 35
Frideburga Gunzonis filia, 138

G

GALLORVM Patrũ opinio de duratione mũdi, 29. *& ſeq.*

Digitized by Google

Gariualdus Valdetradæ maritus, 115
Genealogia S. Arnulphi cur regia dicatur, 163. *& ſeq.*
Gens plures familias continet, 160. *& ſeq.*
Germania quando Saxonia dicta, 187
Godinus frater Goërrici, 72
Graduum conſanguinitatis numerandorum ratio à Iure ciuili inducta, diu viguit in Occidente, 118
Gregorij I. Pontificis Epiſtolæ 52. lib. 9. inſcriptio ſuſpecta, 60. *& ſeq.*
Gregorius Turonenſis multa omiſit, quæ nota ipſi eſſe debuerant, 33. *& ſeq.* Eius error dum de Quintiano verba facit, 43
Guntramnus Epiſcopum conſtituit in terris quæ Longobardis fuerant ereptæ, 49

H

HALDETRVDIS Clotarij I. coniux, 100
Hariſidium & Hariſium apud Ruthenos, 133
Heltrudis ſtemma, 231
Hermengardis Ludouici Pij vxoris genus, 226. *& ſeq.*
Hubertus Bertrandi Aquitanorum Ducis filius, 139. Quo tempore in Auſtriam ſe contulit, 141
Hugo Abbas Reginæ Caroli concubinæ filius nuſquam fuit coniugatus, 204. *& ſeq.*
Hugo Capetus de Caroli Magni gente oriundus, 216. *& ſeq.*

I

IANVARIA nomen receptum in Alemannia Curienſi, 30
Induſtria nomen olim in vſu in Alemannia Curienſi & Burgundia, 30
Ingeltruda Pipini Aquitaniæ Regis vxor, 169
Ingundis, idem eſt ac bona, 30
Irmina Dagoberti I. filia.
Iuditha Ludouici Pij vxor non fuit eius neptis, 233

L

LANDRADÆ genus, 231
Legatorum ex Prouinciis numerus legibus Rom. definitus, 16
Leocadia confeſſor, 125
Leo Epiſcopus Senonenſis, 129
Leontius Epiſcopus Arelatenſis, 17
Leontij Burdegalēſis natales, 19
Latina nomina olim apud Francos vſurpata, 29. *& ſeq.*
Lex vnic. de nuptiis Gentilium C. Theodoſ. explicata, 55
Liberi Regum Francorum ex concubinis nati, olim cum legitimis portionem regni obtinebant, 37
Liberi ex Clodouei filia cum Ferreolo nupta, nati, 39
Licinius Andegauenſis è proſapia Regum Francorum, 102
Ludouicus Pius ex genere Merouingiorum, 114

M

MATRICA in Pannonia, nō in Belgica, 172. *& ſeq.*

Digitized by Google

Matricenſis Comitatus, idem ac Madriacenſis, 168. In occidua Francia ſitus, non in ortiua, *ibid. & ſeq.*
Mediomatricum caput Regni Auſtraſiæ, 52
Metenſis Eccleſia ditiones habuit apud Ruthenos, 54
Mediomatrica à populis Mediomatritibus dicta, 172
Metropolitæ conſenſus deſideratur in Epiſcopo conſectando, 48. remiſſa quandoque hæc conſtitutio, *ibid. & ſeq.*
Metropoles à Principe inſtitutæ, 49. *& ſeq.*
Monachorum inſtitutum Philoſophia dicitur, 209
Mummulus Epiſcopus Ariſitenſis, 133
Mundericus Epiſcopus Ariſitenſis, 126. *& ſeq.*

N

NARBONA olim ſub Tolerana ſede, 69. Inter Aquitaniæ vrbes adſcripta, 94
Narbonenſes Gothi vocati, 128. *& ſeq.*
Nemauſi qui quæſturam, aut ædilitatem conſequuti eſſent, inter ciues Romanos reputati, 18
Nomenoius Dux Brittonum ex quatuor Epiſcopatibus ſeptem confecit, 51
Nibelungus Childebrandi filius, 166
Nuptiæ inter filios fratrum olim licitæ, 116. *& ſeq.* In iis canonica diſciplina parum ſeruata, 119

O

ODA Arnoaldi vxor, 139. Eius ætas inueſtigatur, 140. *& ſeq.*
Oratio pro mora ſæculi, 30

P

PAPPOLVS Carnotenſis Epiſcopus, 129
Pappolus Metenſis quanto tempore ſederit, 58
Patritiorum duplex acceptio, 7
Patritij qui dicti, 8. *&* 9
Petronillæ Tertulli vxoris ſtemma, 245
Philippus Patritius, 10
Pipinus de ſanguine regali Francorum, 114
Præfectura, Imperium ſine purpura, 5
Probatius Epiſcopus Vcecienſis, 7. Subſcripſit Concilio Agathenſi, 11
Proprium ſanctorum, 23
Proprietatum ſolemnitates, *ib.*
Pruſianus fundus hodie *l'Eſperou*, 16

Q

QVANDONAM Gotho Romanam vxorem ducere licuit, 35
Quintianus è ſede ſua à Gothis depulſus, quòd Theoderico Francorum Regi faueret, 42

R

RAGINFREDVS qui & Peonius, Anſberti frater, 72

Ragintrudis Theodeberti I. filia, 102
Regis nomen pro Duce vſurpatum, 75
Robertus Fortis alterius Roberti filius, 179. *& ſeq.* Cur Saxonici generis dictus, 187. *& ſeq.*
Romani Martyrologij lectio reſtituta, 64
Rothildis Dagoberti I. filia, 102
Roticius Epiſcopus Vcecienſis natus patre Ferreolo viro Præfectorio, 7
Roticius Vcecienſis, alius à Lemouicenſi, 11
Ruricius Lemouicenſis antequam eſſet Epiſcopus vxorem duxit Iberiam Ommatij filiam, 11
Ruricius apud Lemouices B. Auguſtino baſilicam conſtruxit, eiuſdémque nominis nepos aliam B. Petro, 11. *&* 12
Ruricius Lemouicenſis Ruricij nepos ſubſcripſit Cócilio Aruernenſi & Aurelian. IV. 12
Ruthenorum Ciuitas poſt Clodouei mortem à Gothis iterum occupata, ad Theodericum peruenit, 43. A Martia Oſtrogothorum Duce bis fruſtra obſidione tentata, 44. *& ſeq.*
Rutheni in Aquitania & Narbonenſi prouincia, 99

S

SADREGISILVS Dux Aquitaniæ, 138
Saxonia, tractus Neuſtriæ, 188. *& ſeq.*
Secundinus Patritius, 9
Segolenæ feſtum Metis, & Aruerniæ celebratum, 73
Senatoris nomen quibus vltimis ſæculis tributum, 17. *& ſeq.*
in Senatum quando Galli admiſſi, 18
Septimaniæ Ducum ſtemma, 232
Sidonius Ruricij Lemouicenſis Epithalamium ſcripſit, 11
Sigebertus Epiſcopum Caſtroduni inſtituit, 51
Sigeberti Regis mors quo anno contigerit, 112

T

TARNIS fluuius Aquitaniam dirimit à Narbonenſi prouincia, 99
Tarſitia Virgo, 135
Teudichildis, id eſt modeſta indoles, 30. filia Clodouei, 32. *& ſeq.*
Theodebertus Matticenſis Comes, 168. *& ſeq.*
Theodericus Comes pater S. Willelmi, 231
Tonantius Ferreolus, Ferreoli præfecti prætorio filius, 14. *&* 15. Malè in duas perſonas à Fabro diuiſus, *ibid.*
Tonantius iuuenis Tonantij Ferreoli filius, 16. Huic ſcripſit Sidonius, *ibid.*
Tonantius Ferreolus nuſquam fuit Epiſcopus Arelatenſis, 17
Treuidum in pago Ruthenico hodie *Treues*, 21. 47

Digitized by Google

V

VARDO fluuius non procul inde Anduſam fluit, *ibid.*
Vcetia ciuitas Narbonenſis prouinciæ, quandoque Vtica dicta, 64. Metropolis appellata, 68
Vcecienſis Epiſcopus ſub Arelatenſi Metropolita fuit, 123
Villa Rotouollum iuris Metenſis Eccleſiæ, 54
Virdunenſis Eccleſia poſſeſſiones habuit apud Ruthenos, 54
Voroangus fundus hodie *Valarangue*, in Gebennicis montibus, 16
Vulgaris lingua, 93
Willetarius Dux Aquitaniæ, 137
Wulfinus ex genere Childeberti I. 102

Addenda, vel corrigenda.

PAG. 54. *v.* 24. *pro* verò *l.* Vero. *Pag.* 71. *v.* 2. Pampelone *l.* Pompelone. *P.* 73. in margine *l.* faciam. *P.* 110. *verſ.* 26. aſſignari poſſe, *l.* aſſignari non poſſe. *P.* 145. *v.* 21. ſe, *l.* eum. *P.* 165. *poſt hec verba* Amedeum I. *adde* Sabaudiæ Ducem. *P.* 180. *v.* 2. Et Pipini, *l.* Et à Pipini. *P.* 192. *v. vlt.* hac opinionem, *l.* hanc opinionem. *P.* 198. *verſ.* 3. aliam eſſe ab Adelaïde, *l.* non eandem eſſe cum Adelaïde. *P.* 202. Waltgarium & Adalelmum, *adde* liberos. P. 211. ſub canonica vita degiſſe, *l.* eum degiſſe. *P.* 221. vx. Grimaldus, *l.* vxor GRIMILDIS. *P.* 231. *verſ. antepenult.* in Hasbanienſium reiecta. *l.* in Haſbanienſium familiam. *P.* 237. *v.* 24. bona fide ſuaſerat. *l.* bona fide ſibi ſuaſerat.

Digitized by Google

Summa Priuilegij Regis Christianiſſimi.

CAVTVM *eſt auctoritate Regis, ne quis in Regno eius, aliiſve locis eius ditioni ſubiectis, librum, qui ſic inſcribitur*, Ansberti Familia Rediuiua, &c. *à* MARCO ANTONIO DOMINICY *Sacri Conſiſtorij Conſiliario, Regiſque Hiſtorico, compoſitum, quouis charactere aut formâ excudere, aut alibi excuſum vendere, alióve quolibet modo diſtrahere poſſit intra decem annos computandos à die abſoluta prima editionis: præter illum, cui idem M. Ant. Dominicy ſpecialiter & nominatim permiſerit. Qui ſecus fecerit, multa indicta, prout fuſiùs in diplomate regio continetur, mulctabitur. Datum Pariſiis die* 16. *Septembris* 1647. *Sic ſignatum, mandato Regis*, LE BRVN.

Idem verò M. ANT. DOMINICY ceſſit iure ſuo SEBASTIANO CRAMOISY, Regis, & Reginæ Regentis Architypographo. Actum Lutetiæ Idibus Decembris anni 1647. eiuſdémque cedentis chirographo ſubſignatum.

Prima editio abſoluta 25. *Ianuarij* 1648.

Digitized by Google

Digitized by Google